ACCADEMIA DI MEDICINA
DI
TORINO

E III
29

GERARDI L. B. van SWIETEN,

Auguſtiſſ. Imperator. & Imperatric. a Conſiliis, Archiat. Com. Bibliothecae Auguſtae Praefecti, Inclyt. Facult. Medic. Vienn. Praeſidis perpetui, nec non Academiae Reg. Scient. & Chirurg. Pariſ. Inſtitut. Bononienſ. & Literar. incognit. Membri,

COMMENTARIORVM IN HERMANNI BOERHAAVE APHORISMOS COMPENDIVM

STVDIO ET OPERA

R. SCHOMBERG,

M. D.

SOCIET. ANTIQVAR. LONDIN. SOC.

FRANCOFVRTI ET LIPSIAE,

EX OFFICINA FLEISCHERIANA,

MDCCLXII.

=10φ6φ52635=

VIRO ERVDITISSIMO

GVLIELMO OLIVER,

MEDICO BATHONIENSI

CELEBERRIMO REGIAE SOCIETATIS SOCIO ORNATISSIMO

S. P. D.

R. SCHOMBERG.

Sunt plures mole voluminum perterriti, qui vel omnino haec faſtidiunt, vel qui ſaltem raptim atque turbatim haec percurrunt. Alii contra inueniuntur, occupationibus medicis nimiis obruti, qui, quamuis in illorum ſtudiis toti olim incubuiſſent, certe ad compendia laete refugerent, vt inde memoriam rerum notabilium renouare poſſint. Talibus forſan non inutile videbitur quod celeberrimi VAN SWIETEN *commentaria vere aurea in magni* BOERHAAVII *aphoriſmos contrahere auſus ſim; ſpero mihi igitur condonaturos fuſiores lectores; ſpero mihi condonaturum et ipſum* PRAENOBILEM AVCTOREM; *perſpecta imprimis ratione, quae me ad hoc opus ſuſcipiendum impulit. Regionem ampliſſimam et amoeniſſi-*

niſſimam luſtraui, ad Hiſpaniorum *illorum exemplum ex* India *redeuntium, collectum aurum exhibeo, vt ad peregrinationem literariam faciundam alios incitarem:* ex racemo Tellus.

Tu vero, qui ακρον παιδειας *ſuperaſti, coepto faue: Compendium hocce meum,* PRAECLARO TVO NOMINI *ſacrum, clientelam tuam ſibi vendicat, ne eam dare dedigneris. Vale,* VIR ILLVSTRISSIME, *me diligas rogo, proprieque tuum eſſe, tibi perſuadeas. Dabam Bathoniae* XII *Kalendas Martias 1762.*

PRAEFATIO.

LECTORI

S. D.

BIBLIOPOLA.

Callimachum ferunt dixiſſe μέγα βίβλιον, μέγα εἶναι κακὸν, *quod effatum vt haud raro verum, ita minime quadrat in illa volumina, quae recondita naturae humanae adyta recludunt, atque explanant, quonam pacto naturae labaſcenti opitulari aut miros eius luſus detegere queat medicus, cum morbi et ſymptomata, quibus ſtipantur, nunquam ſatis vbertimque exponi poſſint. Tales eſſe Ampliſſimi* VAN SWIETEN *Commentarios in ſummi* BOERHAAVII *Aphoriſmos practicos inficias ibit nemo, niſi qui ſit plane inficetus aut pudorem abiecerit omnem, cum medicorum turba uno ore fateatur ſe ab eorum lectione non niſi doctiores receſſiſſe. Dolendum vero clinicos, qui dies integros in adeundis aegris conſumunt, tam parum otio abundare, vt commentarios illos auro contra non caros conſu-*

lere aut diligentius terere nequeant. Hos ſublevare, redactis illis commentariis in epitomen concinnam, operae pretium duxit cel. R. Schomberg, *cuius plura iam exſtant in rem medicam praeclara monimenta. Coeperat primum Vir egregius recidere*

— — omne, quod vltra
Perfectum traheretur,

in proprios vſus; deinde vero cum excerpta illa et aliis inſeruire poſſe crederet, candidus ea impertire voluit. Cum vero clinicos potiſſimum opera ſua iret adiutum, ea detriuit, quae praxin ſpectant medicam, ratus, ipſum fontem adituros eos, qui plura ſcire deſiderarent. Blanditur autem ſibi Schombergius, *ſe hac epitome gratiam initurum apud ſtudii medici cultores omnes, imprimis vero apud Ampliſſimum* VAN SWIETEN, *cuius ſuffragium erit inſtar omnium. Rogatos etiam vult medicorum filios, vt ſi quid boni inde ad ſe redundaſſe ſenſerint, id omni tribuant illuſtri commentariorum Auctori. Tu interim lector beneuole fruere hac epitome, ac conatibus* Schombergii *faue.*

SERIES

SERIES CAPITVM.

Prolegomena - - Pag. 1
Morbi fibrae ſolidas ſimplicis, debilis et laxae 7
Morbi viſcerum debilium et laxorum, fortium et rigidorum - - 9
Morbi ſpontanei ex acido humore 12
Morbi a glutinoſo ſpontaneo 13
Morbi ex alcalino ſpontaneo 15
De morbis oriundis ab exceſſu motus circulatorii ſolo - - 17
Obſtructio - - 19
De Vulnere in genere, Haemorrhagia, Dolore et Convulſione - - 26
Vulnera capitis - - 42
Vulnera thoracis - - 50
Vulnera abdominis - - 53
Contuſa - - 55
Oſſa fracta, luxata - 57
Inflammatio - - 60
Abſceſſus, Fiſtulae - - 67
Gangraena - - - - 70
De Combuſtione - - - 77
Scirrhus. Cancer - - - 78
De Morbis Oſſium - - 85
De Morbis internis et de Febribus in genere 88
Tremor febrilis. Anxietas febrilis 104
Nauſea febrilis. Ructus et Flatus. Debilitas febrilis - - 107
Calor febrilis - 109

Deli-

Naturales ſunt omnes illae *actiones*, quae faciunt, vt Corpus impleatur talibus, qualia amittit; ut tot et talia apponantur, quot et qualia defecerunt. *Natura* nihil aliud deſignat, niſi aggregatum omnium conditionum phyſicarum, quae requiruntur, vt vita ſit conſtantiſſima durabiliſſima et ſimul agiliſſima mobilitas.

Animales vocaverunt omnes mutationes Corporis Humani viuentis, quae mentem in ſuis cogitationibus mutant, vel a mente cogitante mutantur.

Vltimus ſcopus, ad quem vniuerſa artis medicae cognitio collimat, eſt aegris ſanitatem reddere; Praxis eſt illa pars Medicae Doctrinae, quae docet, quanam ratione in homine viuente aegroto per certa ſigna phyſica debeat detegi, an praeſens ſit morbus et qualis, in quo ſit ſtatu, an in initio, aſcenſu, ſtatu, deſcenſu, qua methodo et quibus auxiliis praeſens iam cognitus morbus tolli poſſit.

Medico morbum curaturo neceſſe eſt morbum noſſe; ſed morbus erat laeſio functionis ad ſanitatem requiſitae, qui ergo ignorat requiſita ad functionem, quomodo cognoſcet, quid deficiat? Sanatio eſt mutatio corporis viuentis talis, vt conditio cor-

corporea, quae vocabatur morbus, tollatur, et reſtituatur illud, quod ablatum faciebat morbum. Sed in morbis toties natura modis incognitis nititur expellere latens morboſum, ſiue morbi cauſa fuerit, ſiue effectus: qui tunc imprudenti conſilio remediis oppoſitis turbat inceptum naturae opus, nocebit ſemper.

Totum quod Medicina poteſt, eſt, vt mutato corpore laeſam mentis corpori vnitae actionem emendet. Saepe autem leve vitium corporis totam mentem turbat. Sic obſervationes docent, fatuos a nativitate ſemper fere habere capitis vitiatam figuram. Sic uncia ſanguinis effuſi ſub olla cranii totam humanitatem delet: *Puer octennis magnis caloribus aeris perdebat memoriam fere omnium quae didicerat, per duos vel tres dies frigidiuſcula tempeſtas reddebat perditam, calore redeunte eadem redibat calamitas.*

Fieri poteſt, ut ablata morbi cauſa, hinc et morbo ipſo, maneant tamen in corpore per morbum praegreſſum mutatae functiones, v. g. *Homo laborat ſaeva quartana autumnali, repetitis paroxyſmis ſaepe ſic debilitantur ſolida, ſic diſſoluuntur fluida, vt naſcatur hydrops, datur cortex peruuianus, ſanatur febris, manet hydrops: non tamen inde con-*

cludi poteſt, quod ſublata morbi cauſa, non tollatur effectus: Cortex enim Peruuianus latentem febris cauſam ſic domuit, ut febris, effectus huius cauſae, euaneſcat; ſed per febrim mutatum ſic fuerat corpus, vt hydropicum fieret, et ſublata per corticem febre, cauſae illae maneant, ex quibus hydrops vt effectus ſequitur, debilitas nempe nimia in ſolidis, nimia adiſſolutio in liquidis.

Duplex modus eſt, quo tollimus morbos, vel enim directe in morbos agimus, non mutato reliquo corpore, vel totum corpus mutando inertem reddimus vel eliminamus morbum.

Quartana purgantibus, vomitoriis, ſudoriferis fruſtra tentata, imo per mediam ſaliuationem (vt vidi) conſtanti typo pergens, tollitur cortice peruuiano, qui caeteroquin corpus non obſeruatur mutare; vocatur propria et ſpecifica medela, quia, dum febrim tollit, reliquum corpus non mutat. Opium deglutitum in ventriculo haerens doloris ſenſum tollit, nec turbat corpus.

Cauſae quae ſimul vnitae cauſam proximam conſtituunt, ſunt vel praediſponentes (προηγȣμεναι) vel (προκαταρκτικαι) occaſionales, v. g. *Homo valde plethoricus, calidiſſi-*

lidiſſima aeris tempeſtate validos motus muſculares faciens, rupta in cerebro arteria, fit apoplecticus, cauſa remota praediſponens erat in hoc homine plethora, cauſae occaſionales erant calor aeris et impetus ſanguinis auctus per motus muſculares; ſed ille aeris calor et validi motus muſculares non feciſſent apoplexiam in hoc homine, niſi adeo fuiſſet plethoricus.

Dum in quartanae exquiſitae initio oritur mirum illud frigus, quod ſenſim ex minimo gradu (aurae quaſi frigidiuſculae ſenſu) in rigorem aſcendit tantum, ut membra omnia tam rigida faciat, vt flecti nequeant, ſaepe omnem tollat ſenſum ſic, vt pedes ad oſſa usque combuſſerint aegri ſine ullo dolore; quam multa illud medicum docet! demonſtratum enim habetur in phyſicis, quod ignis abſentia, vel non determinatio ad locum, ſit frigus, ſed ex legibus corporis humani hodie certo concluditur, frigus ſequi imminutam circulationem; ſed in quartanae initio videmus euidenter imminutam circulationem, cor quidem celerius palpitat, ſed auctas reſiſtentias ſuperare impotens ad extrema corporis vitalem ſanguinem propellere nequit; hinc primo incipiunt pallere extrema, naſi apex fit pallidiſſimus, ungues

et extrema digitorum pallent, ſic et labia; et dum frigus omnia contrahit, conſtrictae venae ſuos humores maiori impetu verſus cor dextrum ducunt, cor interim ſiniſtrum non poteſt euacuare contentum ſuo cauo ſangninem in arterias plus contractas, hinc circa pulmonem et cor accumulatur ſanguis, et inexplicabilem illam anxietatem facit, vnde adeo anhelant, et omni reſpirationis molimine nituntur prementem hanc amouere ſarcinam: hinc concludimus, magnum tunc adeſſe mortis periculum, et metuendum eſſe, ne ſtagnans fere in magnis venoſis receptaculis ſanguis in concretiones polypoſas abeat, ſaepe tota vita non reſolvendas. Poſt ſummum quartanae frigus ſequitur calor ſenſim increſcens in ſummum aeſtum usque; ſed calor diſtendit, elongat omnia ſolida, auget liquidorum volumen; ſic fibrae ſolidae per praecedens frigus contractae et accurtatae calore ſubſequente elongabuntur: ſed nil plus debilitat ſolidarum partium fabricam, quam illa viciſſitudo alternae contractionis et elongationis; hinc tanta ſaepe debilitas corporis poſt quartanam diu toleratam, et plurima quae inde ſequuntur mala.

Phaenomena morborum ſunt vel individua et propria, vt in Pleuritide *dolor acutus punctorius inſpirando valide auctus cum febre acuta continua*, qnae etiam vocantur ſigna pathognomica; vel ſunt communia, vt in pleuritide ſaepe adeſt dolor capitis, lumborum etc. quae millenis aliis morbis adſunt.

MORBI FIBRAE SOLIDAE SIMPLICIS, DEBILIS ET LAXAE.

Oſſa calcinata fragiliſſima, oleo immiſſa, iterum cohaerent.

Si pleuriticus primo morbi ſtadio tuſſi reiicit mucoſam flauam materiem cum ſtrigmentis ſanguineis, cum levamine omnium ſymptomatum, ſi poſſit haec expectoratio ſuſtineri, intra paucos dies ſanabitur aeger; hinc nec venaeſectionibus, nec aliis remediis turbabimus ſalutare hoc naturae molimen, ſed dabimus tantum molliſſima decocta, quae hanc expectorationem ſuſtinere poſſunt.

Debiles homines non debent equitare pleno ventriculo, ſed ante prandium, vel poſt dige-

digeſtionem fere peractam. Quo fibra plus diſtrahitur, eo fit debilior, hinc omne illud, quod diſtractionem fibrae impedit, cauſam debilitantem tollit; faſciae iam vel veſtes arctius appreſſae corpori, fulciendo vaſa illud ſupplent, quod deficiens ſolidorum robur facere non poterat; nempe impediunt nimiam dilatationem. In morbis curandis plus per hanc methodum perficitur, quam per omnia alia: Memini me curaſſe nobilem puellam, qua in genere neruoſo mobiliorem nunquam vidi; a minimo ſono, lumine vividiori convellebatur ilico, miros motus cum lacerationis ſenſu in abdomine ſentiens; nec ferulacei ſucci, nec adeo ſalubre in his caſibus Caſtorei virus proderant; dum autem faſciis crura, femora, totum abdomen ad mammas usque firmabantur, remiſit ſtatim moleſtum malum et datis dein idoneis remediis conualuit; per menſes tamen ſic inſtar Mumiae Aegyptiacae faſciis circumductis vixit non inuita, cum ilico tantum inde ſentiret ſolamen.

Spiritus fermentati duplicem habent effectum, fluida inſpiſſant, ſolida contrahunt.

In vaſis maioribus triplici de cauſa robur naſcitur; 1) a fibrarum robore; 2) a vaſis collapſis vel compreſſis in membranas concretis;

cretis; 3) a vaſis concretis una cum liquido contento.

MORBI VISCERVM DEBILIVM ET LAXORVM, FORTIVM ET RIGIDORVM.

Viſcus ſolet plerumque definiri, quod ſit pars organica corporis, quae humores allatos per ſuam fabricam plurimum mutat, ſic vt haec mutatio proſit totius corporis vitae et ſanitati.

Binae cauſae ſunt, quae liquida noſtra per canales ſuos movent; 1) Cordis vis, diſtendens impulſo ſanguine vaſa; 2) robur et contractilitas vaſorum.

In curandis morbis ſemper ad cauſam primam, unde omnia reliqua fluxerunt, eſt reſpiciendum.

Triplici de cauſa proſunt exercitia; 1) quia pendula viſcera illis concuſſionibus agitata roborantur, et concreta partim his concuſſionibus, partim auctis vaſorum et viſcerum viribus, reſoluuntur; 2) quia faeces ex ultima digeſtione reſiduae ſic ex primis viis eliminantur in illis, quibus vis horum viſcerum deficit; hinc proſunt imprimis

mis vna vel altera hora ante cibum ingeſtum; 3) quatenus impetus et efficacia aeris in pulmonum vaſa ſic augetur, et ambiens atmoſphaera, calore corporis ſtatim tepeſcens, renovatur aſſiduo, quod imprimis equitando obtinetur. Homines macilenti et fortes comedunt duplo plus ſaepe quam obeſi et otioſi, nec tamen pingueſcunt, licet parca copia tantum alvum deponant, quia in his robur ſupra ſanitatis vires increverit. Ingeſta quidem in his ingrediuntur venas lacteas, dein cauam venam corque dextrum; ſed in pulmonis arteriis et poſtea per totum ſyſtema arterioſum reliqui corporis ſic attenuantur, vt per vltima exhalantia corporis vaſa difflari poſſint, ſicque evaneſcant:

Maxime notandum, quod licet maius robur accedat arteriis, ideo non ſtatim debeat oriri cordi nimia reſiſtentia, nam aucto arteriarum robore, cordis vires augentur; influxus enim venoſi ſanguinis in cava cordis, traiectio ſanguinis arterioſi per cordis ſubſtantiam, influxus ſpirituum in villos cordis muſculoſos, ſunt cauſae, a quibus motus muſcularis cordis pendet. Sed dum aorta validiori vi ſe contrahit, ſanguinem maiori celeritate pellit per arterias coronarias in

cordis

cordis ſubſtantiam; ſimul validiori vi per carotides et vertebrales ſanguinem cerebro et cerebello applicat, vnde maior ſpirituum ſecretio: deinde ex arteriis in venas ſanguinem velocius promouet, ſicque ſanguinem venoſum celerius mouendo cor irritat: omnes ergo cauſae motus muſcularis cordis augentur, aucto robore arteriarum.

In prima aetate omnibus morbis generis nervoſi magis obnoxius viuit homo, quia encephalon eiusque producta, medulla ſpinalis et nerui, eo maiorem habent proportionem ad reliquas partes corporis, quo origini ſuae eſt propior: hinc tam facile convelluntur; vix enim laborat infans minima febricula, quin conuellatur.

In prima aetate etiam turgiduli et humidi ſunt omnes; tam facile et mire igitur mutantur humores; hinc achores, herpetes, excoriationes, pone aures, ſub axillis.

Circa pubertatis tempus mirae toti corpori in utroque ſexu accidunt mutationes. In maſculis teſtium tumores, varicoſae vaſorum ſeminalium inflationes, in foemellis miri ſæpe morbi primam menſtruorum eruptionem praecedunt et comitantur.

MOR-

MORBI SPONTANEI EX ACIDO HVMORE.

Peregrinum corpori acidum eſt: nullus enim humor, vere animalis dicendus, vnquam ſua ſponte aceſcit.

Duplici de cauſa flatulentia oritur ab acido, ab irritatione, qua inteſtinorum fibrae ſpasmo contractae incluſum coercent aerem, et a genita materia elaſtica in omnibus ad fermentationem pronis liquidis; hinc acido laborante adeo ſunt flatulenti.

Bilis inter omnes humores noſtros non excrementitios acerrima eſt, et cito in putredinem prona; hinc circa hepar cadavera citiſſime putreſcunt.

Omnes in quibus acidum praedominatur pallent. Omnia acriora ad cutim delata pruritum, obſtructiones circa ſubcutaneos imprimis folliculos, puſtulas etc. excitant. In ictericis bilis ad corporis ſuperficiem delata intolerabilem ſaepe pruritum excitat. Si acida acrimonia infecti humores huc tranſeant, idem fiet. Ruſticorum pueri, immaturos fructus, penitus auſteros dum comedunt, malis ſaepe cutis morbis cum ſummo pruritu laborant.

Nul-

Nullum animal ſponte ſua in acidum vergit, in putredinem ſemper.

MORBI A GLVTINOSO SPONTANEO.

Omnia illa quae lentum mucoſum attenuant, et languentes vires incitant, proſunt ſenibus; nam non tantum in pulmone, ſed et inteſtinis muci aggeſtio ſit, imo et in ipſa veſica: vnde toties ſenes vrinam pituitoſam reddunt.

Vbi inflammatoria ſanguinis tenacitas adeſt, omnia rubent, calent; vbi lenta pituita praedominatur, pallor et frigus adſunt.

Omnes ſecretiones a ſanguine fiunt.

Stimulantium effectus non ſemper a figura, pondere, rigiditate partium pendent: ſufficit medico nouiſſe talia, quae applicata corpori motum augent, licet ignoret, quomodo agant.

Tumente puerorum abdomine, frictiones pannis laneis aſperis factae plurimum proſunt mane poſt ſomnum vacuo ventriculo, diſtento enim non facile illas ferunt.

MOR-

MORBI EX ALCALINO SPONTANEO.

Inter liquida corporis ſani nullum acrius eſt, nullum magis vergens in putredinem, qnam bilis, ſi excrementitia excipiantur.

Motus nullus et motus nimius liquidorum noſtrorum producunt putredinem, ſicque binae cauſae penitus oppoſitae producunt eundem effectum.

In ictericis dum bilis retropremitur in ſanguinem, totus ſanguis ſi diu durat morbus, a bile diſſolvitur, et in putredinem diſponitur, vnde a nimis ſoluto ſanguine hydrops poſtea icterum ſequitur.

Ad nutritionem corporis requiritur, vt adſit cohaeſio in noſtris humoribus; ſed putredo nata hanc tenacitatem tollit.

Vbi putridus fomes in corpore haeret, diſſoluuntur omnes humores, nutritio deficit, lento maraſmo omnia pereunt.

In acutiſſimis febribus anheloſa reſpiratio et difficilis, pulſusque celerrimus et ſaepe inaequalis, *vitales functiones* laeſas demonſtrant. Debilitas ſumma, delirium, ſopores, *animalium functionum* laeſionem indicant;

dicant; proſtratus appetitus, ſitis, nauſea, vomitus *naturales functiones* perturbatas probant.

Omne acre irritans ſtimulo ſuo inflammationem in toto corpore, vel in parte quadam facere poteſt. Maturorum fructuum ſuccus nulla praeparatione indiget; ſitim extinguit, calorem temperat, urinae et alui vias laxat, ſummum ſolamen languenti ventriculo a putrida bile praebet. Vinum ipſum in his morbis (febribus ſcilicet acutiſſimis) prodeſt, imprimis acidulum, ſed multa aqua dilutum.

Acetum (optimum illud ex vino praeparatum) inter praecipua prophylactica ad peſtem ipſam ab omnibus recenſetur, ſolo olfactu putridis morbis decumbentes adeo reficiens.

Vbi putridum adeſt vna cum nimia humorum diſſolutione iam praeſente, vel ſi breui futura metuitur, ſummum vſum habent acidi ſpiritus vi ignis ex ſale marino, nitro, vitriolo expreſſi, efficaciſſime omni reſiſtunt putredini, dum ſimul non diſſolvunt humores noſtros, ſed coagulant potius. Spiritus ſulphuris per campanam huic ſcopo pulchre inſervit, puriſſimum enim aci-

dum

dum foſſile, nihil metallici in ſe habens, praebet.

Terrae medicatae pulcherrimum habent vſum. Nam latente acido omni putredini reſiſtunt et innocua lenitate demulcent omnia; vnde in dyſenteriis putridis optima exhibentur cum efficacia, modo ſatis magna doſi praeſcribantur: vncia vna emulgendo quaſi in libra aquae diluta, dein cochleatim ſumta, pulcherrimos effectus praeſtat: vbi ad grana pauca dantur, nihil efficiunt.

Inter humores noſtros, exceptis excrementitiis, nullus eſt, qui plus vergit in putredinem, quam bilis; vnde citiſſime in morbis acutis corrumpitur, hinc bilioſa acrimonia acerrima, maxime noxia.

Omnium peſſima olei cuiuſuis, blandiſſimi etiam, corruptela.

Qui vrinae ſuppreſſione pereunt, ante mortem cerebri functiones laeſas habent omnes; tandem lethali ſopore placide moriuntur, aliquando et conuulſi ante mortem.

Meraciſſima carnium iuſcula penitus glutinoſa fiunt, et debilem ventriculum gravant, non reficiunt vires, dilutiora autem pulchre nutriunt. Dum phthiſicis decocta pedum vitulinorum exhibentur, hac ſpe, vt nutriant

plus

plus miſeros, tenaci nimis chylo grauatur debilis pulmo, et maximae fiunt anxietates.

DE MORBIS ORIVNDIS AB EXCESSV MOTVS CIRCVLATORII SOLO.

Vix inueniuntur duo liquida magis ſimilia in omnibus fere phaenomenis quam *albumen oui* et *ſerum ſanguinis*.

Omnia illa quae accelerant motum venoſi ſanguinis verſus cor, motum cordis augent; ſic ardentiſſima febris poteſt motu muſculari nimio excitari, et frictionibus validiſſimis.

Veriſſimum Hippocratis effatum: *Sanguis non eſt natura calidus, ſed caleſcit.*

Vrina eſt verum ſanguinis lixiuium, et eo acrior eſt, eo magis foetida, quo validior eſt circulatio.

Pulſus celeritas deſignat, cor intra idem temporis ſpatium ſaepius contrahi; durities autem pulſus arteriarum plenitudinem, et ſanguinem valide compactum et denſum ſignificat, et inflammatoria viſcoſitate per vltimas vaſorum anguſtias difficilius permeabilem.

Omnis ſanguis corde dextro expulſus debet tranſire per pulmonem, antequam redeat in cor ſiniſtrum: ſed cor dextrum ſua vi muſculoſa ſola non valeret propellere ſanguinem per arteriae pulmonalis anguſtias, requiritur etiam pulmonis per inſpirationem dilatatio, vt expeditum fiat iter ſanguini ex corde dextro expulſo: quo ergo ſaepius et fortius ſe contrahit intra idem temporis ſpatium cor dextrum, eo frequentior et validior requiritur reſpiratio. Hinc ſimulac curſu vel alio quocunque exercitio ſanguinis per vaſa motus augetur, increſcit reſpiratio proportionaliter, et fit maiori cum molimine. Augetur ſic reſpiratio ob ſolam velocitatem auctam ſanguinis per pulmonem tranſeuntis; ſed dum per maiorem motum incipit naſci inflammatoria illa ſpiſſitudo, longe magis laborioſa erit et velox ſimul reſpiratio; primum enim vitium incipientis immeabilitatis ſe manifeſtat in pulmone; vnde in morbis acutis inflammatoriis velox illa et laborioſa ſimul reſpiratio tam mali eſt ominis.

Nulla fit fermentatio niſi aer accedat; et putrefactio longe tardius oritur, dum aer excluditur; ſtagnans in tumido abdomine aqua per

per multos menſes haeret, vix corrupta, ſimul ac aer acceſſerit, putreſcit citiſſime.

Nunquam rectius medicina curat, quam vbi Naturae vias, quibus morbos levat, imitatur.

OBSTRVCTIO.

Viſcoſitas deſignat illam conditionem phyſicam, quae in fluido, elementis nimis cohaerentibus, auget immeabilitatem.

Sanguis ruber tantum in pia matre obſeruatur, in cortice cerebri naturaliter nunquam ſanguis ruber inuenitur.

Si cum dolore ſunt tumores, vocant phlegmonas; ſi ſine dolore et duri, ſcirrhos; ſi ſine dolore et molles, οἰδήματα dicuntur. Hippocrates vero illos molles tumores indolentes non ſimpliciter οἰδήματα vocabat, ſed addebat ſemper aliud vocabulum, vt ab aliis diſtingueret tumoribus; οἰδήματα μαλθακὰ, tumores molles; ἀνώδυνα, indolentes; τῷ δακτύλῳ ὑπείκοντα, digido cedentes cet.

Haerent illi tumores in membrana celluloſa, quae vera oedematis ſedes eſt, et cum haec membrana omnia vaſa ambit, hinc tumores ibi nati vaſa anguſtare poſſunt.

Varix frequentius longe malum quam anevryſma, quia et venae facilius cedunt cauſae diſtendenti, et ſanguis tardius mouetur in venis, quam in arteriis, hinc a levi ſatis obſtaculo, impedito ſanguinis venoſi motu venae ab accumulato ſanguine diſtenduntur et varicoſae fiunt: frequens imprimis malum grauidis mulieribus, dum diſtentus vterus venas iliacas premens impedit, ne venae per crura et femora diſperſae ſe tam expedite poſſint euacuare; hinc tunc apparent in illis varicoſi illi tumores, crurum imprimis.

Callus vocatur partis membranaceae increſcens moles, vna cum duritie et inſenſilitate; cauſa eius proxima eſt compreſſio vaſorum, expreſſio liquidi contenti, et concretio laterum vaſorum inde nata.

Cauſa proxima omnis obſtructionis eſt tantum vna, ſemper eadem et ſimplex, nempe exceſſus magnitudinis materiae per canalem transmittendae ſupra capacitatem eiusdem canalis.

Binae ſunt cauſae, quae arterias diſtendunt, cordis nempe vis ſanguinem in arterias propellens, et copia ſanguinis in arteriis iam contenti; ſi minuatur cordis vis, inertia totius circulationis adeſt, ſi minuatur copia liquidi diſtendentis, inanitio peccat.

Vtro-

Vtroque in caſu vis diſtendens vaſa minuitur: ſed canalium omnium capacitas pendebat a binis cauſis contrariis, nempe ab impetu et copia liquidi per vaſa moti, et a vi contractili laterum reſiſtente cauſis diſtendentibus; ſimulac ergo cauſae diſtendentes minuuntur, vis contractilis maiorem effectum habet, id eſt, anguſtantur vaſa.

Quo validiores ſunt cordis et arteriarum vires, eo denſior fit ſanguis.

Quo fortior et robuſtior homo eſt, eo maius periculum concretionis eſt, ſi a quacunque cauſa ſanguis in vaſis quieſcat; debilibus puellis non adeo periculoſa ſunt animi deliquia a minimis ſæpe cauſis tam frequenter orta, quia illarum ſanguis nimis diſſolutus, vix, vel ſaltem tardiſſime concreſcit, quamvis immotus haereat.

Serum ſanguinis circiter 28 gradu thermometri *Farenheitiani* concreuit in glaciem: hinc maius requirit frigus quam aqua, forte quia ſerum ſanguinis ſalibus diues eſt.

Dum in variolis primo die morbi ſanguis mittitur, apparet ſatis bonus; ſi tertio vel quarto die educatur ſanguis, iam inflammatoriam illam cruſtam habet, quia per febrim acutam diſſipatis liquidiſſimis, plus compactis craſſioribus partibus, incipit naſci maior

ior cohaeſio inter moleculas ſanguinis; quamdiu enim plurimum tenuioris liquidi inter moleculas craſſiores interponitur, preſſio vaſorum non mutabit illarum figuram, ſed ſi difflato tenuiori liquido, moleculae ſanguinis craſſiores, ſibi contiguae factae, valida actione vaſorum comprimuntur, mutabitur figura ſphaerica, et pluribus punctis ſe mutuo contingent et concreſcent. Dum autem robuſta et firma vaſa magna vi premunt contenta fluida, ſubtiliſſima exprimuntur, craſſiores partes relictae compreſſione hac adunantur.

Non omnia acida ſanguinem coagulant. Vina enim acidula, acetum, ſucci acidorum maturorum fructuum, lac ebutyratum etc. potius diſſoluunt: ſed acida foſſilia, ex ſale marino, nitro etc. parata ſanguini inducunt coagulum. Fortiſſima coagula producunt alumen et vitriolorum ſpecies variae, et ſpirituoſa. Malum ſignum in peripneumonia habetur, ſi ſanguis vena miſſus dilutus vix concreſcat; denotat enim ſola tenuiora per pulmonis vaſa transprimi, omnia craſſa accumulari.

Poſt morbos acutos inflammatorios capitis ſaepe remanet ſurditas vel amauroſis, tota vita incurabilis, forte ab hac cauſa, quod obſtru-

obſtructis ab inflammatione maioribus canalibus, minora inde deriuata, compreſſa vel collapſa concreuerint. Dum in apoplexia omnes cerebri actiones ſilent, raro curatur, quin maneat aliquod vitium in hac vel illa cerebri functione, fere ſemper incurabile.

Quod ſæpe homines longas inter epulas apoplexia correpti perierunt, cauſa eſt diſtentus ventriculus aortae truncum premens verſus inferiora tendentem.

Si ſcirrhus confirmatus, vel malignus cancer obſtructionem fecerint, nec manu tolli poſſint, qui curam promittere audebit?

Atheromata, meliceride, ſteatomata dum in externis partibus haerent, vbi manubus acceſſus datur, non niſi difficulter tolli poſſunt. Quid ſperandum de ſimilibus tumoribus, dum in interioribus corporis haerentes vicina vaſa comprimendo anguſtant? Aeque magnus eſt medicus, qui incurabilem morbum diſtinguere potuit, quam qui ſanabilem tollere valuit.

Animi affectus augent vaſorum contractilitatem, vnde mirabiles et pertinaciſſimi oriuntur morbi. *Vidi mulieri ſanae ſubito terrore affectae mox ortum fuiſſe in mamma*

tumorem, qui, *licet optimis tractatus remediis, in ſcirrhum irreſolubilem induruit.*

Frictiones, vectiones, equitationes et corporis exercitia circulationis velocitatem et efficaciam augent, et reddunt partes ſolidas corporis firmiores.

Parotidem glandulam induratam, plurimis, illisque efficaciſſimis remediis fruſtra tentatam, reſolutam vidi, dum bis de die, vapori aquae tepidae cum aceto expoſita prius parte, pannis laneis perfricaretur per horam; idem in ſtrumoſis colli glandulis obſeruatum eſt ſaepius.

Sal marinus, gemmae, aſſumti humoribus noſtris miſcentur quidem, ſed per lotii vias non mutati fere redeunt; hinc licet per pleraque corporis vaſa tranſeant, tamen horum actione non mutantur. Omnia autem illa, quae ingeſta per corporis vires mutari nequeunt, ſemper maiorem motum excitant, hinc et ſtimuli vice funguntur ſimul. Ammoniacus autem ſal, prioribus levior, ſalibus nativis ſanguinis magis affinis, per vires noſtri corporis mutabilis, et penetrabilis maxime, praefertur fere et laudatur merito tanquam ſummum deobſtruens in acutis aeque ac chronicis morbis. Videtur autem ſalium horum actio inde pendere, quod humoribus

ribus miſti, ſoluti, ad locum obſtructum delati, vaſorum actione quaſi attriti ad molecculam obſtruentem pondere ſuo et figura diuidant illud concretum, ſicque aptum reddant, vt tranſire poſſit per vaſorum anguſtias; dum ſimul ſtimulo ſuo vaſorum in contenta fluida actionem augent. A contuſione ſub integra cute, fractis vaſis, ſanguis in thrombum concretus haeret, ſales hi in aqua ſoluti, loco contuſo applicati, feliciſſime concretum ſanguinem reſolvunt.

Nitrum hodiernum a veterum nitro penitus differt, ſummum attenuans.

Borax inter deobſtruentia remedia magnum nomen obtinuit, vnde et difficillimis morbis ſanandis ſolet adhiberi, partim miro quem habet ſtimulo, partim vi ſalina attenuante agens.

Quo purius et ſubtilius oleum, quo magis ſincerus ſal fuerit, eo praeſtantior vſu ſapo inde natus. Catapotia ex fuligine facta, auro obducta, deglutita in morbis lentis, vi attenuante ſaponacea ſummos fecerunt effectus.

Non ſemper ſummae ſoluendi virtuti magna acrimonia comes eſt: blandum oleum ſoluit ceram, quae aquae ſtygiae reſiſtit; iners oui cocti albumen myrrham diſ-

fluere facit, quae aliis menſtruis ſua tenacitate vix ſolui poteſt.

Longe felicius ſanguinis miſſione pleuritis ſolvitur, ſi illo tempore, dum fluit adhuc ſanguis, leviter perfricetur latus affectum, vel aegri profunda et ſaepe repetita inſpiratione, vel et tuſſis, affectam partem moueant, vnde ſaepe vino calido vel aceto naribus ſuppoſito, cardiaci titulo, cogimus aegros, vt vel inuiti tuſſiant, dum ſaepe acerbi doloris praegreſſi metu hoc facere non audent.

Morbi inflammatorii felicius curantur in laxis corporibus, quam in robuſtis et valido labore exercitatis hominibus.

DE VVLNERE IN GENERE, HAEMORRHAGIA, DOLORE ET CONVVLSIONE.

Quando in flexura cubiti per venaeſectionem infauſto caſu laeditur aponeuroſis illa, a parte tendinea bicipitis muſculi orta, ſaeua quae ſequuntur ſymptomata non pendent a tam leui vulnuſculo, ſed a nexu illius tendineae expanſionis cum aliis partibus. Levis febricula vulneratis hoc ſtadio

dio contingens, quo tumor, dolor et calor, vti et retorſio labiorum in vulnere adſunt, non nocet, imo prodeſt potius, quatenus per hanc febriculam pus naſcitur; pure autem facto, ſolet plerumque ceſſare. In ſectione calculi, exſtirpatione mammae et ſimilibus vulneribus, illo tempore adeſt haec febricula, boni tunc ſemper ominis.

Nunquam fit bonum pus, ſi vulnus tectum non fuerit; ſed ſub thrombo, nato in vulnere vel emplaſtro tegente, pus illud naſcitur. Hinc pus non fit in vaſis, ſed extra vaſa in vulnere generatur, ab effuſis humoribus, calore corporis fotis et mutatis. Si enim pus omne in vulnere haerens linteis carptis molliſſimis abſterſum fuerit, poſt horam vulneris ſuperficies vndique madida apparebit tenui liquido, non pure; ſed ſi per 24 horas emplaſtro tectum fuerit vulnus, illo ablato, pus apparebit. Vnde pus fit extra vaſa; ſed materies, vnde fit, per vaſa adfertur.

Gangraena dicitur illa partis mollis affectio, quae abolito influxu vitalis humoris in arterias et effluxu per venas in mortem tendit. Si ergo neruo maiori diſſecto gangraena ſequatur, debebit tolli vitalis ille humorum influxus et effluxus; arteriae tamen et venae

venae ſunt integrae, humores per illas fluentes boni, ſoli nervi diſciſſi ſunt. Si autem conſideretur, motum liquidi per arterias pendere a binis cauſis, cordis nempe vi et arteriarum actione, et ſimul notetur, cordis vim pro maxima parte impendi dilatandis arteriis, hinc praecipuam cauſam motus fluidi per arterias eſſe earundem contractionem, quare partim ab elaſticitate quidem arteriarum, maxime tamen pendet a vi muſculari fibrarum orbicularium, qua arctantur dilatatae arteriae et propellunt contentum liquidum; cumque conſtet ex Phyſiologicis, actionem muſculi requirere integritatem nerui ad muſculum delati, et truncos neruoſos ramos dare vicinis arteriis, apparebit, neruo deſtructo, perire vim muſcularem arteriae, qua urget liquidum contentum: ſupererit ergo ſola elaſticitas arteriae et impetus a corde communicatus. In venis autem ſanguis mouetur illo motu, quem habet, dum ex arteriis in venas tranſit; adiuuantur dein motu muſculorum adiacentium, qui turgentes, dum agunt, adiacentes venas premunt, ſicque ſanguinis venoſi motum promouent. Neruis autem diſciſſis muſculi ſuppoſiti paralytici manent; hinc nulla eorum actio ſupereſt. Minuto ergo impetu ſanguinis

nis ex arteriis in venas pulſi, deficiente muſculorum venis adiacentium actione, incipit ſanguis in venis tardius moueri, accumulari, ſtagnare, atque ita maior adhuc reſiſtentia oritur arteriis, quarum actio iam debilitata erat; vnde tandem integre ſuffocatur motus vitalis fluidorum per arterias et venas in partibus tali vulneri ſuppoſitis, id eſt, naſcitur gangraena.

Nullum habetur pulchrius remedium ad neruorum vel tendinum puncturas, vt praecaueantur illa ſymptomata vel mitigentur, ſi iam adſint, quam Balſanum Peruuianum nigrum, leuiter calefactum, vulneri inſtillare: deinde ſpatula calefacta appoſita efficere, vt magis penetret, et diffundatur per omnia vulneris loca: poſtea totum membrum molliſſimis cataplaſmatibus aut fomentis inuoluatur, vel blandiſſimis oleoſis illiniatur continuo. Si vulneris anguſtia balſamum peruuianum non admittat facile, dilatetur parum.

Si vulneri in cauum abdominis penetranti ſuccedat ilico actionum vitalium languor ſummus, cor palpitet celerrime, pulſus paruus, celer, inaequalis ſit, pallor faciei et labiorum adſit, et frigus extremorum, concludimus, vaſis maioribus diſciſſis, ſanguinis

guinis ingentem copiam in cauum abdominis effundi. Si vulnus collo inflictum, ſine notabili haemorrhagia, ſimilia ſequantur ſymptomata, metuimus, ne nerui hic decurrentes, qui vitalibus viſceribus proſpiciunt, laeſi ſint. Si poſt capitis vulnus eadem obtineant mala, cerebelli laeſio, vel ab extrauaſatis humoribus compreſſio, adeſſe creditur. Si vulnera capitis omnium actionum animalium abolitio ſequatur, eadem de cerebro timemus. Si poſt vulnus dorſo inflictum omnia infra poſita ſenſu et motu priuari obſeruamus, ſpinalem medullam laeſam eſſe concludimus. Si poſt vulnus thoraci inflictum coccineus ſpumeſcens exit ſanguis de vulnere, vel ore exſpuitur, nouimus pulmonis vaſa diſciſſa eſſe. Si ex vulnere abdominali chylus effluat, inteſtini tenuis laeſio ſignificatur, ſi foeces prodeant, craſſi inteſtini vulnus indicatur; ſi ſanguis emingatur, renes, vreteres vel veſicam laeſam nouimus.

Par octauum, vagum dictum, plurimis viſceribus vitalibus proſpicit: hinc a tali vulnere non quidem in inſtanti mors ſequitur, tamen tales vulnerati omnes pereunt maiori vel minori temporis intervallo, prout

prout vel profundius laeſa fuerit medulla, vel altiori in loco.

Res non naturales ſunt: aer; cibus, potus; motus, quies; animi affectus; retenta, excreta; ſomnus, vigiliae; hoc nomine vocantur, quia vſu vel abuſu bonae naturales, aut malae contranaturales fieri queunt.

In robuſtis et exercitatis hominibus vulnerum labia omnium maxime a ſe mutuo recedunt; quo maior enim eſt partium cohaeſio, eo maior erit vulneris hiatus.

Cauſa aneuryſmatis eſt omne illud, quod cohaeſionem tunicarum in quodam arteriae loco minuit. Cognoſcitur adeſſe aneuriſma, ſi leni preſſione euaneſcat vel minuatur plurimum, mox redeat ad priſtinam magnitudinem, vbi preſſio ceſſat; ſi in tali tumore pulſus manifeſtus percipiatur. Color cutis raro mutatur, niſi diu durauerit et magnum valde fuerit. Dum comprimitur aneuryſma, imprimis ſi magnum fuerit, et cordi vicinum, niſi leniſſime et ſenſim fiat, ſummum diſcrimen eſt, ne ſubito ſuffocetur aeger; dum concretus ſanguis, ex aneuryſmatis cauo expreſſus, ſanguini ex corde per arteriam pulſo ſic reſiſtit, vt cordis motus ſuffocetur ſubito: nec magnum aneuryſma compreſſum manu ſimul et ſemel liberan-

dum

dum eſt, ſed ſenſim, aliter in animi deliquium cadunt, ſanguine ſubito in vacuum hunc ſaccum ruente. Ideo compreſſo aneuryſmate maiori, ſtatim aegri de intolerabili oppreſſione circa pectus conqueruntur. Ubi autem aneuryſma in interioribus latet, difficilius cognoſcitur. Cauſae tamen cognitae ſi praegreſſae fuerint, inſolita pulſatio ab aegro percipiatur, cordis motus turbetur; et aucta ſanguinis velocitate per motum muſcularem, vel aliam quamcunque cauſam ſuffocetur fere, admodum probabilis ſuſpicio habetur, aneuryſma in interioribus corporis partibus latere.

Dum aneuryſma in interioribus corporis partibus haeret, vbi non datur manibus acceſſus, anguſta ſpes eſt curae: totum quod fieri poteſt, eſt, vt debilitata vita per venaeſectiones et tenuem diaetam, minuatur circulationis impetus et velocitas; ſic enim aneuryſmatis incrementum prohibebitur, quantum fieri poterit; ſumma ſimul quiete corporis et animi imperata ob eandem cauſam. Ubi manibus acceſſus datur, ſi nondum in formidabilem magnitudinem increuerit aneuryſma, a prudenti compreſſione aliquid ſperari poteſt: vbi tunc notandum, quod maxime conducat arteriam ſupra

pra

pra aneuryſma pariter modice comprimere: ſic impetus ſanguinis per hanc arteriam minuitur, et compreſſo aneuryſmate non tam facile ſanguis regurgitabit cor verſus. Ubi a compreſſione nihil ſperari poteſt, vel fruſtra iam adhibita fuit, ſola aneuryſmatis exſtirpatio ſupereſt, quam feliciter inſtitui poſſe, docuerunt obſeruata. Talem caſum narrat Ruyſchius, vbi felix euentus fuit, licet brachium iam gangraena corruptum eſſet.

Omne illud quod reſiſtentias ſanguini ex cordis cauis pulſo auget, poterit praeternaturalem cordis dilatationem producere. Nimia humorum copia in plethoricis, augmentum velocitatis in morbis acutis, immeabilitas ſanguinis per arteriarum fines a diatheſi inflammatoria, polypoſa, atrabilaria etc. vitia arteriarum, per quae liber ſanguinis tranſitus per illas impeditur, vti ſunt illarum nimia calloſitas degeneratio in cartilagineam imo oſſeam ſubſtantiam, aneuryſmata etc. praecipuae cauſae ſunt, a quibus caua cordis vltra naturalem ſuam dimenſionem dilatantur. Inter rariores autem cauſas meretur referri, quod aliquando aër in cordis cavis repertus fuerit, immaniter illa diſtendens.

Malum hoc praeſens, vel ſaltem metuendum eſſe nouimus, ſi continuae palpitationes cordis adſint; ſi ſigna docuerint, pulmonem impeditum eſſe ſic, vt libere non transmittat ſanguinem; ſi pulſus durus valde et plenus cum anxietate intolerabili ad motum auctum adſint: tunc in aorta obſtaculum tale haerere non ſine ratione concluditur. In his malis medicamenta dentur talia, quae diluunt ſanguinem, aperiunt vaſa, lubricant vias; vt expeditiſſima fiat humorum dilutorum per vaſa lubricata et aperta circumductio. Serum lactis, hydrogala mellita, aquae ſpadanae cum lacte, praecipua ſunt.

Maximi momenti eſt diſtinguere aneuryſma ſpurium a vero, vnde ſigna illa accurate cognoſci debent. Nouimus aneuryſma ſpurium adeſſe ex cauſis praegreſſis, imprimis validis contuſionibus, quod longe velocius ſit tumoris incrementum in aneurysmate ſpurio quam in aneuryſmate vero. Deinde quod tumor non ita diſtinctis limitibus circumſcribatur, quia per tunicam celluloſam quaquauerſum diſpergitur; in aneuryſmate vero autem dilatatis arteriae tunicis limitatur tumoris ambitus. Praeterea aneuryſma verum, ſaltem in initio antequam

quam in formidabilem molem excreverit, manifeſtum pulſum, arteriae pulſibus reſpondentem, habet: aneuryſma verum non adeo manifeſtum, licet tamen hoc fallere poſſet. Aneuryſma verum, niſi iam maximum fuerit, ſi prematur, omnis tumor evaneſcit, ſanguine pulſo in arteriae cauum: hoc in aneuryſmate ſpurio non ita fit, illud enim preſſum cedit quidem, ſed tumor tunc in vicinia augetur. Deinde color cutis in aneuryſmate vero ſaltem in initio, raro vel nunquam apparet mutatus; in aneuryſmate ſpurio ſanguis, ſub cute effuſus, alieno colore cutim deturpat.

Omnis neruus viſibilis laeſus non patitur tantum, quatenus eſt neruus, ſed etiam quia omnis generis vaſcula habet, quorum integritas et inde pendens actio per vulnus laeditur.

In periculoſis vulneribus imprimis ſumma cautela opus eſt, vt determinetur, an heterogenea in vulnere haerentia tollenda ſint, an vero relinquenda. Si omnibus attente conſideratis appareat, quod vulneratus his eductis commodius vel diutius victurus ſit, tunc procul dubio tollenda ſunt. Sed ſi vulneris ex ſcientia anatomica, et functionibus laeſis, talis conditio appareat,

vt certa et ſatis ſubita mors timeatur merito, relinquenda ſunt, ne mortis vulnus ſecutae, culpa imputetur Medico vel Chirurgo: deſperatos enim non attingere melius eſt.

Dum quotidie vulneris ſuperficiem luſtrat Chirurgus, poterit videre an maior vel minor emollitio requiratur ad regenerationem perditi. Si enim vulneris ſuperficies ſicca appareat, et profundi rubri coloris, et parum puris generetur, nouit ſtatim vaſa in vulneris ſuperficie patula nimis reſiſtere liquidis impulſis, nec illa transmittere. Si vero in omni puncto vulneris aequabilis appareat humiditas, et modicus rubor, ſi aequabiliter incipit fundus vulneris eleuari quotidie et latera extendi in omni ambitu, videt ſatis, vaſa habere requiſitam laxitatem, vt liquidis impulſis cedere et elongari poſſint. Si vero vulnus nimia humiditate diffluat, fundusque eius et latera ſubito et inaequaliter attollantur, nimis laxata eſſe vaſa concluditur, unde oppoſitis remediis opus eſt.

Alimenta non nutriunt, niſi prius per corporis noſtri fabricam mutata fuerint in liquidorum humanorum indolem, et depoſita natura propria induerint noſtram. Imprimis debet caueri ne ſitiant vulnerati; ſitis

tis enim deſignat ſiccitatem corporis, vel immeabilitatem liquorum, vel acre liquidis miſtum; ſed omnia haec vulneri ſummopere noxia, cum ad reſtitutionem perditi aequabilis humiditas vulneris in omni puncto, liquidorum facilis meabilitas et blanda indoles, requirantur omnino; hinc victus humidus, et blandi liquidi copioſior vſus requiruntur; ſic enim humectabitur totum corpus in omnibus partibus, liquidis dilutio maior conciliabitur et facilis meabilitas, acre nociturum copioſo liquido dilutum enervabitur et per ſudores vel vrinae vias exibit de corpore.

Pro generali axiomate in dirigenda ſanorum diaeta haberi poteſt, quod talis debeat eſſe cibus, qualis eſt labor.

Si debilis homo lardum maiori copia in prandio comederit, veſpertino tempore ſaepe eructabit pingue oleum, quod fauces adurit, et in ignem proiectum vividam flammam alit. Tam diu in ventriculo retinetur hoc pingue indigeſtum, nec tamen fluidum quamuis fuerit, pyloro elabitur. Idem verum eſt de piſcibus pinguibus vt anguilla, ſulmone etc. ea imprimis ſi hepata piſcium comedantur, in quibus oleum tanta copia haeret, vt inde purum exprimi poſſit: et quamuis

 ſapo-

ſapori adeo placeat blandum hoc oleum, citiſſime tamen in rancidum peſſimum conuertitur. Vnde periti Chirurgi, ſi vulnerati talia comederint, ilico vulneris conditionem in peius mutatam obſeruant. Oleoſa enim haec ad vulnus delata minima vaſcula obſtruunt, et mora et calore acriora reddita inflammationem difficulter reſolubilem efficiunt. Omnium maxime nocet capitis vulneribus aër non renouatus ſaepe.

Obſeruatum eſt a Sanctorio et aliis de ſtatica medicina ſcriptoribus, hilaritatem corpus quam maxime perſpirabile reddere, et leue ad ſenſum.

Binae requiruntur conditiones, vt fiat regeneratio perditi in vulnere; nempe vt liquidum ſanum debita copia et apto impetu deferatur ad vulnus; deinde vt vaſcula excipientia humores allatos habeant illas dotes, quae requiruntur, vt excipere et transmittere poſſint talia liquida, quae ſecundum ſanitatis leges per haec vaſcula fluere debent.

Totam vulneris ſuperficiem defendere debemus ab aëre, et hoc omnium optimè fit per Balſama natiua, quae omnia ſpiſſa vnctuoſitate haerent, blandum aroma in ſe habent, et ſimul acidum, quod putredini omni reſiſtit, ſic tamen obvolutum pingui,

vt

vt non noceat ſua acrimonia. Dum haec modica copia leviter calefacta, vt aequabilius diffluant, vulneris ſuperficiei applicantur, tegunt tenerrima haec vaſcula, aërem pinguedine ſua arcent, omnemque exſiccationem impediunt et ſimul humores effuſos a putredine praeſeruant.

Vnicum ſarcoticum eſt ipſa natura.

Nunquam in ſano homini dormiente digiti extenſi ſunt, nunquam tibia cum femoris oſſe in lineam rectam porrigitur, ſed ſemper omnes illi articuli leviter inflexi ſunt. Muſculi, qui articulos flectunt, plerumque extenſoribus fortiores inveniuntur; hinc vbi neutri agunt vi muſculari, tunc propria contractilitate partium flexores muſculi praevalent extenſoribus, et ideo ſemper leniter inflexi apparent in quieſcente articulo. Apparet hoc etiam euidenter in paralyſi perfecta partium corporis; tunc enim omnis actio muſcularis voluntaria ceſſat. Si enim v. g. totum brachium paralyticum fuerit, digiti ſemper inflexi inueniuntur, et ſic manent: vnde ſaepe poſt curatam paralyſin non poſſunt extendi digiti, rigidis factis ligamentis articulorum, et muſculis flexoribus, tanto temporis ſpatio non elongatis, hinc propria contractilitate breuioribus redditis:

vnde extenſores digitorum haec obſtacula ſuperare non poſſunt. Maximae igitur vtilitatis eſt cognoſcere, qualis ſit ſitus partium in homine quieſcente, et imprimis in homine ſano dormiente: tunc enim omnis motus voluntarius ſilet, et partes corporis ſibi relictae omnium maxime naturali ſitu diſponuntur. Apparebit tunc, nullum articulum corporis extenſum eſſe, ſed omnes leuiter flecti. Dum hoc in vulnerum curatione negligitur, concreſcunt inter ſe partes alio in ſitu, quam naturaliter habebant, et turpis ſaepe naſcitur a diſtractis partibus deformitas, vel motus naturalis partium deprauatur ſaepe plurimum.

In prima deligatione vulneris ad hoc attendendum eſt; nam partes crudae vnitae citiſſime conglutinantur; vnde non poterit error commiſſus corrigi, niſi crudeli cura diſcindantur iterum illa, quae iam concreuerant.

Vbi haemorrhagiae nomen ſimpliciter occurrit apud *Hippocratem*, non addita parte corporis, ex qua erumpit, tunc intelligitur illa, quae per nares fit ſanguinis eruptio, monente *Galeno.*

Dolor eſt in mente perceptio rei moleſtae.

Omnium maxime gangraena poſt dolorem

rem naſcitur, ſi inflammatio et valida febris ſimul adſint; tunc enim citiſſime aucto circulationis impetu deſtruuntur partes.

Vniuerſale remedium ad dolores omnia emollientia et laxantia exhibent, quia ipſam cauſam proximam doloris, nempe rupturae periculum, in fibra neruoſa tollunt; dum reliqua auxilia tantum in cauſas remotas doloris agunt. Hoc bonum habent haec remedia, quod pluribus doloris cauſis remotis tollendis ſufficiant, nec noceant tamen illis cauſis, quas tollere nequeunt. Aliquando autem contingere poteſt, vt licet dolor magnus vrgeat, alia tamen ſymptomata mali laxantium et emollientium vſum prohibeant, v. g. ſi a cancro tecto vel iam exulcerato, ſummus dolor oritur, nocerent emollientia, quia et putredinem et fungoſam illam cancri excreſcentiam augerent ſummopere. In pleuritide, dum ſimul valida febris adeſt, dolor intolerabilis naſcitur, quia magno impetu vrgentur humores in locum obſtructum, et vaſa dilatando, fibras neruoſas horum vaſorum texturam facientes magna vi diſtrahunt.

Omnis conuulſio eſt affectio muſculi, et eſt eius inuita, violenta et alterne repetita contractio.

Si neruus, cuius laeſio totum ſenſorium commune turbat, poteſt deſtrui ſine metu grauioris mali, per diſſectionem, compreſſionem, cauſtica etc. nullum amplius conuulſionis aderit periculum, quia omne commercium inter cerebrum et neruum laeſum ſublatum eſt.

Omnium optime vulneris dilatatio per cultrum fit.

VULNERA CAPITIS.

Piae matri immediate vnitur cerebri ipſius ſubſtantia corticalis, vnde medulla oritur.

Vertigo, tinnitus aurium, bilis vomitus, ſomnolentia, ſenſuum omnium vel quorundam ſaltem abolitio vel deprauatio in capitis vulneribus ſemper ſunt mali ominis; longe vero magis periculoſum, ſi grauia talia ſymptomata, non in initio, ſed poſt aliquot dies ab inflicto vulnere appareant. Obſeruatum eſt, quod illa, quae in vulneribus mox a principio apparent, minus terrere debeant, quam quae perſeuerant, vel poſtea ſuperueniunt, ſiue ſint febres, ſiue alia ſymptomata; et ideo iudicium ſuſpendere, licet grauiſſima ſymptomata apparuerint in initio,

initio, donec conſtet, an illa perſeuerent, an non. Suſpecta merito prudentibus chirurgis habentur capitis vulnera, ſi contuſio ſimul adfuerit, cum ſaepe longo temporis interuallo poſtea peſſima ſequantur mala, dum ſalua omnia eſſe credebantur. Quidam a compotatore in bregmatis os dextrum poculo ſtanneo percuſſus fuit, nec aliquid fiſſi in oſſe fuit deprehenſum; pancratice valuit, et obambulauit, donec poſt decimum menſem inter ambulandum vertigine correptus conciderit et breui poſt obierit. Aperto cranio in ictus loco, os plane putridum foetidumque cum meninge apparuit.

Eryſipelatis nomine intelligitur inflammatio ſuperficiaria, et in ipſa tantum cute fere haerens rubro flaueſcentis coloris; in vaſis minoribus, quam ſunt vaſa ſanguinem rubrum vehentia, pro maxima parte locum habens: nullibi frequentius occurrens quam in capite et facie, et *fere ſemper in capitis laeſionibus aliquid maligni latere demonſtrat.* Obſeruatur membranam cellularem eo facilius diſtendi, quo tenerior eſt et minus pinguedinis in ſe habet. Vnde illa ſub palpebris loca tam facile tument, et ſcroti et penis membrana celluloſa in hydrope anaſarca in tam enormem molem diſten-

dun-

duntur; quia in his locis membrana cellu-loſa nihil craſſae pinguedinis, ſed potius mucilaginoſi quid in ſe continet; niſi in ca-ſtratis animalibus, in quibus ingens copia hic colligitur.

Vulnera capitis nunquam vilipendenda ſunt, cum enim talia quae etiam leuiſſima apparent, peſſimum aliquando habent even-tum.

Si ſola integumenta laeſa ſint in capitis vulneribus, raro deligantur, et citiſſime; totum enim quod hic requiritur, eſt vt re-creſcant et vniantur ſeparata capitis integu-menta. Sed hoc totum natura ſibi ſola ſufficiens perficit; ars tantum impedimen-ta tollit et addit adminicula. Vbi ergo omnia phaenomena docent recte procedere curam, quid juuabit ſaepius detegere vul-nus et aëris inſolito attactui exponere rena-ſcentia pulpoſa vaſcula? et vana illa depu-ratio vulnerum, quae detergendo pluma-ceolis fit, deſtruet illud, quod renaſci inci-pit. Sufficit ergo rarior denudatio vulne-rum. Si enim aliquid mali lateat, vel puris maior copia prudentem requirat abſterſio-nem, calor et leuis pruritus circa vulnus ma-nebunt: olfactu detegi poterit facile, ſi aliquid putridi adſit; ſymptomatum autem

mali-

malignitas aucta indicabit ſtatim, ſi quid magis ſiniſtri ſit metuendum.

Vbi contuſio vulnus capitis comitans fomenta requirit, vinum debemus adhibere, ne a ſolis aquoſis nimia laxitas oriatur: ob eandem cauſam omnia pinguia in vulneribus capitis curandis vitantur, quae praeter nimiam laxitatem quam inducunt, etiam oleoſa tenacitate minima vaſcula obſtruunt et faciunt imperſpirabilia.

Contuſio ſupponit multa vaſa fracta eſſe, et humores effuſos qui tunc in membrana celluloſa collecti miros ſaepe tumores faciunt, et niſi inſtrumentum vulnerans valde acutum fuerit, fere ſemper aliqua contuſio vulnera capitis comitatur, quae ſi leuis fuerit, et liquida effuſa adhuc meabilia ſint, tunc tutiſſimum eſt, vt diſſipentur, quod pulcherrime fit, ſi foueatur locus talibus remediis, quae concreta liquida diluere et reſoluere poſſunt et ſimul omni putredini reſiſtunt, nec interim nimis emolliunt. Vrina ſani hominis, addito pauco ſale marino vel ammoniaco et vino, pulcherrimum hic remedium exhibet, quo toties feliciſſime diſſipantur tumores a capitis contuſionibus in pueris orti. Talia etiam ex ruta, ſcordio et ſimilibus parantur fomenta, quae vi antiſeptica

ptica ſingulari omnem putredinem arcent et ſimul potentiſſime reſoluunt concreta. Pulcherrime prodeſt, ſi antequam detegatur vulnus (capitis) utrinque ponatur teſtula viuam prunam accenſam continens, cui ſuccini, maſtiches, olibani, vel ſimilium ſuffimigiorum pauculum inſpergitur; ſic tepida atmoſphaera, gratiſſimo roborante fumo aromatico dives, vndique detectum vulnus alluet.

Differt fractura caluariae a fiſſura, quia in fiſſura proprie dicenda ſupereſt adhuc aliqua cohaeſio, in fractura autem integra obtinet ſolutio: vnde fiſſura anguſtam in oſſe rimam facit; fractura maiorem ſeparationem partium antea vnitarum ſupponit.

Ad latentem anguſtam et capillarem fiſſuram detegendam in vſu vulgari eſt atramentum; ſed niſi valde dilutum fuerit, minus ad hanc rem conuenire videtur, cum vitriolo, gallis quercinis, corticibus granatorum et ſimilibus adſtringentiſſimis conſtet, quae oſſi nudo applicata tenerrima vaſcula ilico ſic conſtringerent, vt poſtea ſeparari deberet lamella deſtructis vaſculis mortua.

Quamdiu labia vulneris rubent, parum etiam inflammata, non multum mali metuunt chirurgi periti; ſed vbi viuus ille color perit, et incipiunt vulneris labia habere ta-

lem

lem colorem, quem habent carnes emarcidae, vel ſale diu conditae, norunt ſatis, peſſima inſtare mala.

Ruyſchius dicit, etiam in vera cranii fractura, in qua ſymptomata non augentur, non ſtatim ad inciſionem et terebrationem eſſe pergendum; ſed poſt venaeſectionem fomentis cephalicis calidis, larga copia applicatis, curam tentandam eſſe; additque ſe ſic feliciſſime opem tuliſſe multis, quibus iam ſcalpellum imminebat.

Quamdiu viuis partibus adhuc cohaerent fragmenta, relinquenda ſunt, ſpes enim eſt, iterum uniri poſſe reliquo oſſi; et ſi hoc non ſuccedat, et ſigna docuerint, oſſa haec ſeparata incipere corrumpi, ſemper poterunt eximi, vel et ſponte ſeparabuntur. Natura ſaepe ſola ſibi ſufficit etiam in periculoſiſſimis caſibus. Puellae nouem vel decem circiter annorum caeſim enſe inflicta fuerant octodecim vulnera capiti, praeter alia quaedam, quae brachia et truncum corporis laeſerant. Omnia haec capitis vulnera calvariam laeſerant, oſſisque portiones quaedam ad diploen vsque ablatae erant; aliis in locis tota caluaria ad duram matrem vsque ablata erat. Idoneo apparatu deligabatur tam miſere vulneratum caput, et ſingulis

gulis binis diebus tantum denudabantur vulnera. Singulis autem deligationibus oſſis fruſtula plumaceolis adhaerebant, et ſic ſecedebant ſine moleſtia. Illa fragmenta autem, quae pericranio adhuc cohaerebant iterum, et prompte replebantur loca, vbi calvaria integra ablata fuerat; ſic vt quinque ſeptimanarum ſpatio tot plagis ſaucia convaleſceret haec puella.

Simplex vertigo leuem tantum compreſſiunculam cerebri indicat; tenebricoſa vero auctum malum deſignat.

Mirum commercium obtinet inter caput et praecordia.

Mali ſemper ominis eſt paralyſis, capitis vulnera ſequens; quia denotat ipſam medullarem ſubſtantiam cerebri compreſſam vel laeſam eſſe.

Inter peſſima ſigna in capitis vulneribus habetur lotii faecumque ſpontaneus exitus. Nerui enim ſphincteribus his inſeruientes ex vltimis neruis ſpinalis medullae per oſſis ſacri foramina exeuntibus, originem ducunt; vnde ipſius ſpinalis medullae originem laedi iam in cerebro patet.

Veram ſuppurationem intra caluariae cauum factam, attamen curatam nobis praebet hiſtoria ſequens: Puer caput impegerat paui-

pauimento lapideo tam vehementer, vt ſtatim omni ſenſu priuaretur; ſucceſſit febris, delirium, et alia peſſima ſymptomata. Septimo die ingens ſudor acceſſit, et ſternutatio, ſimulque magna copia puris per os, nares et aures effluxit, cum leuamine omnium malorum, et ſanatus fuit puer.

Grauiſſima capitis vulnera, dum fracta caluaria exitus patet effuſis humoribus, ſaepe minus ſunt periculoſa, quam vbi leuiori vulnere ſub caluaria effuſi humores retinentur.

Dura mater in omni fere puncto caluariae adhaeret, ſed in locis ſuturarum valida eſt haec adhaeſio: hinc communi omnium auctorum conſenſu illa loca vitantur, potiusque ab vtroque latere ſuturae terebratur cranium, quam in ſuturae loco.

Vix vnquam ad cicatricem perduci poteſt vulnus, quod ad ſinus frontales penetrauit; talibus locis non eſt applicandum trepanum.

Summus aeſtus et glaciale frigus, ſemper capitis vulneribus noxia; vernus tepor imprimis prodeſt.

VVLNERA THORACIS.

In omni puncto pleurae et pulmonis ſiſtulae minimae arterioſae omni vitae tempore exhalant tenuiſſimum rorem, qui impedit, ne pulmo cum pleura concreſcat.

Si aqua per ſiphonem iniecta in vulneris orificium tuſſiculam excitet, et per aſperam arteriam expellatur, tunc vulnus in pulmonem quidem, ſed non in pectoris cauum penetraſſe palam eſt.

Optime vulneribus thoracis applicantur plana plumaceola, balſamo vulnerario, vel pro re nata molliſſimis digeſtiuis inuncta: his dein emplaſtrum imponitur non nimis tenax, foraminulis plurimis pertuſum, et idonea dein applicatur ligatura, ſi opus videatur; hac cum cautela, vt ſpleniis applicatis vel alio quocunque modo impediatur, ne faſciae circumductae vulneris aperturam comprimendo, exitum extrauaſatis humoribus impediant.

Sanguinis ſpumoſi exitus certiſſimum eſt ſignum, laeſum eſſe pulmonem; ſanguis enim tunc, laeſis ſanguineis vaſis effluens in aerea vaſa pulmonis, cum aere miſtus ſpumeſcit,

meſcit, vnde tunc vel per aſperam arteriam eructant ſpumoſum cruorem, vel vndatim talis ſanguis de vulnere externo effluit.

Dum in latus laeſum decumbit vulneratus, difficilior quidem, ſed ferenda tamen, eſt corporis poſitura, ſed ſi in latus ſanum decumbat, ſanguis effuſus pondere ſuo premet mediaſtinum et pericardium verſus alterum pectoris cauum, vnde minuetur et huius capacitas, et augebitur reſpirationis difficultas, quam dum ſentiunt ſic decumbentes, ſtatim vel inuiti corporis ſitum mutant, ob ſuffocationis metum.

Ex anatomicis ſcitur, an magnae arteriae vel venae laeſae ſint, an non. Sic trunci maiores arteriarum intercoſtalium prope marginem inferiorum coſtarum decurrunt; mammariae internae ad latus ſterni vtrumque, transuerſi digiti diſtantia ab oſſe, pone coſtarum cartilagines ponuntur; magna vena azygos ad dextrum latus vertebrarum dorſi locatur etc. Ex quibus omnibus bene cognitis maius minuſue periculum vulneris determinatur.

Optime monuit diuinus Cous, dicens; *ſanguinem profundentia cum ſudatiunculis vulnera maligna: Tales enim loquentes occulte pereunt.*

Cum diaphragma in dextra parte altius aſcendere in thoracem ex Anatomicis conſtet, ideo in dextro latere thoracis dum inſtituitur paracenteſis, ſolet illud fieri inter tertiam et quartam coſtam; in ſiniſtro vero latere inter ſecundam et tertiam coſtam ſpuriam fieri poteſt.

Thoracis apertura debet fieri inſtrumento ſecante, non autem pungente, vt in paracenteſi abdominis fit; quia magnum periculum foret, ne pulmo vulneraretur ſic pungendo.

Conſtat ex Phyſiologicis, requiri ad liberam pulmonis ab inſpirato aere expanſionem, vt nullus aer in pectoris cauo haereat. Hoc fieri poteſt, vel ſugendo, vel omnium optime ſequenti methodo. Detecti vulneris labia digitis adducuntur, vt nullus aer ingredi poſſit, denique aeger lenta et profunda inſpiratione magnam copiam aeris haurit, illumque retinet in pulmone, quamdiu hoc commode facere poterit: aer ille ſic retentus, calore rarefactus, expandet pulmonem, et comprimetur aer inter pleuram et pulmonem haerens. Si tunc, antequam exſpiret aeger, diducantur vulneris labia, pars magna aeris, contenti in cauo thoracis, exprimetur:

metur: ſtatim iterum claudenda vulneris labia, et tunc exſpiret aeger, non prius. Dum hoc repetitur aliquoties, omnis omnino aer ex pectoris cauo expelletur, et ſentiet vulneratus ſtatim, ſe longe commodius reſpirare. Omni aere ſic expulſo, ſubito vulneri applicatur tenax emplaſtrum illo tempore, dum aeger inſpiratum aerem in pulmone retinet, tunc enim pulmo diſtentus, pleurae contiguus, obturabit viam aeri per vulnus ingreſſuro. Relinquitur autem hoc emplaſtrum diutiſſime; et ſi renouari debeat apparatus, illud ſimile emplaſtrum iterum imponitur iisdem cum cautelis: et ſi ullibi, certe in talibus thoracis vulneribus, rara deligatio ſummam vtilitatem adfert.

VVLNERA ABDOMINIS.

Omnia vulnera quae partes abdominis continentes laedunt, integro manente peritonaeo, vocantur non penetrantia; vbi vero peritonaeum perfoſſum ſimul eſt, tunc in cauum abdominis penetrare dicuntur.

Vulnera abdominis non penetrantia aliquid ſingulare habent; quod neglectum ſaepe peſſima produxit mala. In ſingulis

enim inſpirationibus depreſſo diaphragmate contenta omnia abdominis comprimuntur, muſculi abdominales in exſpiratione iterum reprimunt, vnde patet, contenta abdominis continuo a diaphragmate et muſculis abdominalibus premi. Si ergo diſciſſis profundo vulnere integumentis abdominis fere ad peritonaeum vsque, tollatur aequabilis preſſio in quodam loco, per vim reſpirationis expandetur adeo facile dilatabile peritonaeum, et ſaccum formabit, quem inteſtina, omentum etc. ingredientur, et ſic facient herniam, quae nil aliud eſt, niſi *dilatatio peritonaei in quodam loco*, quem locum dilatatum contenta abdomine viſcera ingrediuntur. *Rariſſime enim, ſi unquam, a rupto peritonaeo herniae fiunt;* fere ſemper ab eodem in ſaccum expanſo, et certiſſima eſt obſeruatio, *in omni abdominis ambitu hernias* poſſe naſci, modo aequabilis preſſio deficiat in quodam loco.

Anguſta et profunda ſimul integumentorum vulnera facile in fiſtulas degenerant: vnde ideneo ſitu vulnerati, et artificioſa preſſione impediri debet, ne humores collecti in panniculo adipoſo ſinus forment.

Vulnera meſenterio inflicta, ſine laeſione aliarum partium, poſt enormes abdominis dolo-

dolores, intra duos vel tres dies fuiſſe lethalia, teſtatur *Ruyſchius*; a partibus membranaceis vel neruoſis laeſis. Peſſimum eſt ſignum, ſi bilis per vulnus abdominis exeat.

Obſeruatum fuit, nullibi percipi foetorem illum ſtercoreum, incipientis putredinis indicium, niſi in Coeco, Colo, et Recto, *nunquam* autem in inteſtinis *tenuibus*, hinc optime dixit Celſus; communes vero jeiuni inteſtini et ventriculi vulnerati notae ſunt; caetera inteſtina icta vel ſtercus vel odorem eius exhibent.

Vitatur in abdominis vulneribus lac, quia nimiam copiam craſſarum faecum relinquit.

CONTVSA.

Omnia illa mala quae contuſionem ſequuntur, ad tria capita reduci poſſunt: vel enim fiunt inde, quod, deſtructis ſolidis et effuſis humoribus, tollantur illae functiones, quae a determinato motu fluidorum per vaſa integra pendent: vel oriuntur, quod effuſi humores in cauis corporis naturalibus vel praeternaturalibus collecti, mole ſua premant partes vicinas, illarumque functiones tollant omnino vel turbent

 ſal-

ſaltem: vel denique iidem humores effuſi, mora et ſtagnatione corrupti talem poſſunt acquirere acrimoniam, qua partes circumpoſitas rodere et deſtruere poſſint.

Differt *Sugillatio* ab *Ecchymoſi*, quod in Ecchymoſi ruptis vaſis ſanguis in vicina ſpatia effunditur, in ſugillatione autem ſanguis valida preſſione ingreditur vaſa aliena, integra tamen; vnde etiam ſugillatio potius in vicinia, quam in ipſo loco contuſo haeret.

Viſcera thoracis non facile contuſionibus laeduntur, viſcera abdominis vero facilius.

Ex decem caſibus ſcirrhus mammarum et cancer novies forte a contuſione oritur.

Per frictiones, venis depletis facilis ingreſſus conciliatur fluidis abſorptis per minima bibularum venarum oſcula.

Non facile, etiam in grauiſſimis caſibus, ad extirpationem veniendum eſt. Obſeruata enim fideliſſima docuerunt, ſanata fuiſſe aliquando talia mala, de quibus omnino deſperandum videbatur. Alliaria, Scordium, Marrubium, Saluia, Ruta etc. aqua infuſa, addito ſale, aceto, et vino, vel vini ſpiritu, dant fomentum, quod noctes diesque calide applicatum omnem putredinem certiſſime prohibet, ſicque tuto per aliquot dies expectari poteſt, an forte natura hic

ali-

aliquam ſeparationem moliatur, vel redeant in parte contuſa renaſcentis vitae ſigna. Si enim ſanguinis impetus per venaeſectionem et alia auxilia ſic compeſcatur, vt nullus metus ſit inflammationis vel gangraenae ab hac cauſa, et externe ſimul applicentur talia, quae omnem putredinem arcere valent, tenuisque ſimul diaeta et minime putreſcens adhibeatur; magna ſpes eſt, poſſe ſeparari corrupta a vivis, et poſtea recreſcere perdita.

OSSA FRACTA, LVXATA.

Diuiduntur fracturae in tres ſpecies; ſimplicem nempe, compoſitam, et complicatam. Simplex dicitur, quando os vnicum vno tantum in loco fractum eſt, ſine magna laeſione partium incumbentium vel vicinarum. Vbi vero vlna et radius, vel et tibia et fibula in crure ſimul fracta fuerint, ſolet vocari fractura compoſita. Vbi vero praeter fracturam vnius vel plurium oſſium talia adſunt ſymptomata, quae peculiarem curam requirunt, vti vulnus, vlcus etc. tunc vocatur complicata.

Raro ſine claudicatione ſanantur oſſis femoris fracturae, ſi in parte ſuperiori prope coxam fuerint.

Peſſima mala, quae ſequi ſolent fracturas, rarius fiunt ab oſſis ipſius laeſione; longe ſaepius, quia oſſis fragmenta vicinas partes comprimendo vel vulnerando male afficiunt.

Omnium optima illa fracturae ſpecies, quae tranſuerſa vel et raphanoides vocatur; imprimis ſi fragmenta ſibi mutuo adhuc innitantur, neque penitus loco mota fuerint. Obliqua autem fractura longe difficilior eſt, quia tunc fragmenta ſe mutuo non ſuſtinent, et muſculorum oſſibus nexorum contractione a contactu facillime dimoventur, neque facile eſt faſciis ſic firmare partes, vt fragmenta repoſita in debito ſitu maneant.

Oſſium fracturae in gravidis difficile conſolidantur; hoc fit fortaſſe, quod natura in gravidis tota in formando et perficiendo foetu occupata, calli generationem quaſi negligat.

Quo propius ſuae origini eſt corpus humanum, eo velocius obſervatur incrementum.

Triplex in articulorum caua concurrit humor; vniuerſale perſpirans, oleum medullo-

dulloſum, et mucilago a glandulis hic poſitis ſecreta; ex quibus ſimul miſtis naſcitur lubricum illud linimentum, quod calore et attritu oſſium ad ſe mutuo, attenuatum iterum reſorbetur tali copia, quali aggeritur: ſi vero a quacunque cauſa deficiat vel minuatur reſorptio liquidi hic effuſi, et pergant interim cauſae ſecernentes et expellentes illud effundere, accumulabitur illud, ligamentarem capſulam diſtendet et debilitabit; vnde facilis prolapſus oſſis articulati ex ſuo cauo ab hac cauſa naſcitur.

Luxationis certiſſima ſigna ſunt, tumor praeternaturalis, ob caput articuli elapſi alieno loco poſitum, et cavitas inſueta in illo loco, quem naturaliter caput oſſis elapſi ſolebat occupare.

Quies ſemper neceſſaria eſt, vt firmitas redeat ligamentis nimis diſtractis, vel vt fiat vnio eorundem, ſi rupta fuerint. Cauendum tamen, ne a nimis diuturna quiete rigeſcant ligamenta, vel ab accumulato linimento articulorum et inſpiſſato ob motus defectum, naſcatur ancyloſis. Vnde poſt aliquot dies elapſos, dum metus inflammationis abeſt et omnis dolor ſedatur, praeſtat leviter dimouere articulum et molliter perfricare.

Omni-

Omnium maxime in cubiti luxationibus hanc cautelam obſeruandam monuit Celſus.

INFLAMMATIO.

Nulla poteſt concipi inflammatio, quin ſimul adſit obſtructio. In ſanguine ſemper eſt nixus in concretionem, qui tamen eo validior eſt, quo vaſorum fortior eſt actio in ſanguinem contentum. Robuſti hominis ſanguis de vena miſſus concreſcit ſtatim, et in quiete relictus plurimum concreti rubri, parum autem fluidi ſeri exhibet. Totum autem hoc pendet a magis efficaci actione vaſorum in ſanguinem. Sed per motum auctum vaſorum actio intra idem tempus et ſaepius et fortius agit in fluida contenta, vnde maior eorundem condenſatio ſequitur. Praeterea aucto motu diſſipentur fluidiſſima, quia organis ſecernentibus et excernentibus intra idem tempus maior copia fluidi a ſanguine ſeparandi applicatur, vnde iterum ſanguinis concretio augetur. Accedit etiam, quod auctum motum ſequatur caloris augmentum, a quo pariter ſic ſanguis inſpiſſatur, vt per minimas arteriarum anguſtias amplius tranſire neque-

nequeat. Vnde in morbis acutis, dum calor augetur plurimum, ſtatim cerebri actiones laeſae, et reſpiratio difficilis, docent, in ſanguine naſci talem immeabilitatem, vt non poſſit amplius libere tranſire per minima horum viſcerum vaſa.

Saliva non concreſcit in aqua ebulliente, vnde ſero ſanguinis tenuior eſt. Copioſo ergo ſalivae effluxu tollitur plurimum tenuis liquidi de corpore, vnde hoc orbatus ſanguis immeabilis fit: ob hanc cauſam illi, qui ex mala conſuetudine, vel nicotianae abuſu, quotidie magnam ſaliuae copiam perdunt, toties peſſimis abdominalium viſcerum obſtructionibus laborant.

Haeret vera phlegmone potiſſimum in membrana adipoſa.

Differunt eryſipelas et phlegmone magnitudine tantum molecularum obſtruentium: in phlegmone pars rubra ſanguinis in vaſis diſtentis et obſtructis accumulatur; in eryſipelate ſerum ſanguinis imprimis cum pauco rubro intermiſto ſic immeabile haeret: phlegmone potiſſimum in membrana adipoſa haeret; eryſipelas integumenta corporis externa, vel et membranaceas partes internas obſidet.

Bina

Bina in omni inflammatione, in quacunque demum vaſorum ſerie haereat, occurrunt obſeruanda; liquidi nempe immeabilitas, facta anguſtatione vaſis, vel concretione molecularum fluidi, vel denique errore loci; et vis vitae a tergo vrgens velocitate aucta propulſos humores in vaſa imperuia; haec ſi concurrant, adeſt inflammatio; ſi ſola immeabilitas liquidi adſit, obſtructionis idea habetur; quae ergo cauſa proëgumena eſt inflammationis, procatarctica autem cauſa eſt motus auctus urgens locum obſtructum.

Binae ſunt imprimis cauſae, quae concretionem ſanguinis impediunt, perpetuus nempe motus, et tenuioris liquidi interpoſitio inter globulos rubros, per quam a mutuo contactu remouentur.

Pulſus in parte inflammata ſentitur, qui antea non adfuit, quoniam vi cordis proiectus ſanguis in arterias obſtructas circa fines ſuos, omnem ſuum impetum impendit his dilatandis; vnde neceſſario latera arteriarum magis recedunt ab axi ſui canalis; ceſſante autem cordis actione arteriae tanta maiori vi reagunt, quo plus diſtentae fuerint.

In ſanguine ſano eſt naturalis procliuitas in cohaeſionem, et quidem eo maior, quo homo fuerit robuſtior.

Phlegmone eſt tumor ruber cum dolore punctorio, durus et ſplendens, calens et pulſans, quem febris in toto vel in parte ſaltem comitatur.

Quid de hac pelle tenaci, ſanguinis rubrae parti ſemper arctiſſime cohaerenti, ſtatuendum ſit, anceps haereo. Voluerunt magni nominis in arte medica viri, fieri hanc cruſtam, dum aucta circulationis velocitate denſatus ſanguis magis in concretionem pronus fieret; adeoque non eſſe cauſam praediſponentem, ſed potius effectum morbi. Sed vidi, dum ſaniſſimis hominibus vena ſecaretur quotannis verno tempore, ſaepius talem cruſtam adeſſe. Imo in homine debili, cui ad haemoptyſin praecauendam, qua laboraverat, ſanguis mittebatur ſingulis tribus menſibus, vidi ſemper cruſtam illam adeſſe. Adfuit ergo talis ſanguinis diatheſis, licet nulla inflammatio adeſſet. Et contra in validiſſimis inflammatoriis morbis aliquando nulla talis cruſta in ſanguine apparuit, quod tamen pro malo omine ſemper habitum fuit.

Velo-

Velocior motus humorum non tantum nocet, quatenus vaſa obſtructa per hunc frangi poſſent; verum etiam quia tanta maiori vi compinguntur moleculae obſtruentes ad ſe mutuo. Ad reſolutionem autem inflammationis opus erat, vt obſtruens concretum reſolueretur iterum in illas moleculas, ex quibus adunatis concreuerat. Quo autem magis expreſſum fuerit liquidum tenuius craſſiores moleculas a mutuo contactu impediens, quo plus hae ad ſe inuicem preſſae et adunatae fuerint, eo firmius cohaerebunt et difficilius iterum diſſolui poterunt.

Dum in morborum acutorum initio per ſudorem, alui fluxum, vel aliam quamcunque euacuationem diſſipantur liquidiſſima, ſemper magnus metus eſt ſiniſtri euentus. Moleculae enim craſſiſſimae ſanguinis, interpoſito liquido tenuiori, a mutuo contactu et concretione impediuntur.

Suppuratio eſt ſalutare illud naturae humanae molimen, quo omne illud, quod vitali humorum motui ineptum factum eſt, ſeparatur a reliquis partibus viuis et ſanis. Dum a quacunque cauſa in parte molli corporis tollitur influxus liquidi vitalis per arterias, eiusdemque reditus per venas, tunc

mors

mors huius partis fit, quae dum incipit et perficitur, gangraena vocatur. Differt ergo hic inflammationis exitus a ſuppuratione, quod omnis liquidorum motus in parte affecta ſuffocetur omnino, ruptis ſubito vaſculis; cum in ſuppuratione ſenſim ſeparentur obſtructa vaſorum extrema per motum vitalis liquidi a tergo urgentis.

Acerrima quaeuis corpori applicata externe gangraenam faciunt; nec refert fere, an acida, an alcalina, an alterius cuiuscunque ſpeciei acria fuerint.

Magnum periculum imminet parti inflammatae, ſi validiſſima febris adſit.

Summum frigus conſtringendo vaſa, et coagulando humores, omnem humorum circuitum impedit, vnde ſubita partis mors ab acerrimo gelu fit. Ubi autem vis vitae haec obſtacula ſuperare valet in parte quadam corporis frigefacta, tunc ingens calor naſcitur ab attritu fluidi denſati per vaſa anguſtiora reddita: experiuntur hoc illi, qui niue manus fricant, poſt moleſtum enim frigus ſatis acris calor percipitur.

Ratione et experimentis confirmatur reuulſionum in morbis vtilitas; ſimulac enim

minuitur, vel tollitur integre reſiſtentia ſanguini per vaſa propulſo in quodam corporis loco, ilico maiori velocitate huc ruit et derivatur. Diſciſſa ſic mediocris etiam magnitudinis arteria, omnis ſanguis per hunc locum, iam non reſiſtentem effluit. Dum excuſſo foetu liberantur abdominalia vaſa et viſcera tanta preſſione, niſi circumducta faſcia pendulae et flaccidae fulciantur partes, ſaepe tanto cum impetu verſus haec loca deriuatur omnis ſanguis, vt deficiat debita preſſio in cerebri et cerebelli vaſis, et lethali ſyncope pereat puerpera. Idem fit in aſciticis, dum ſubito paracenteſi inſtituta omnis aqua educitur, niſi ſtringatur abdomen. Patet ergo, minuta reſiſtentia in quodam corporis loco, ſanguinem maiori impetu et copia eo verſus deriuari. Sanguini autem corde propulſo per vaſa reſiſtunt illorum plenitudo et laterum firmitas, qua renituntur ſuae dilatationi. Omnia ergo quae vaſa partis cuiusdam corporis deplent, vel efficiunt, vt illorum latera facilius cedere poſſint diſtendenti ſanguini, deriuant impetum et copiam humorum in hanc partem. Aer ſubfrigidus multum confert ad pacatam ſanguinis circulationem: ſiccus autem aer humido ſemper

prae-

praefertur, caeteris paribus; et humidus aer ſi frigidus ſimul ſit, nimio poſſet peccare refrigerio. Quo firmiora et magis elaſtica fuerint vaſa, quae per inflammationem diſtenta fuerunt, eo citius redeunt in primam formam; et contra, quo tenerioribus in vaſis haeſerit inflammatio, eo longius tempus requiritur, antequam his redeat debitum robur.

Sola reſolutio poteſt dici ſanatio perfecta inflammationis, quia illam tollit, nullo alio morbo inducto. Reliqui autem exitus inflammationis in ſuppurationem vel ſcirrhum non ſunt perfectae ſanationes, quamuis inflammationem tollant; quia deſinit inflammatio in alium morbum, qui iterum nouam curationem requirit, antequam ſanitas integre reſtituatur. Vbi autem inflammatio in gangraenam vel ſphacelum deſinit, tunc non in ſanationem ſed in mortem tendit.

ABSCESSVS. FISTVLAE.

Cauſa materialis morbi, quamdiu tales conditiones habet, vt morbum faciat vel augeat, cruda vocatur. Vbi autem per

vitam ſuperſtitem, propriam indolem aut medicamenta idonea ſic mutata fuit, ut minus recedat a ſanitatis legibus, minusque turbet functiones corporis, tunc cocta dicitur. Cruditas ex ſymptomatum omnium incremento vel ſummo vigore, maturatio vero ex eorundem remiſſione cognoſcitur.

Fiſtula a ſinu differt, quod ſit anguſtior, diutius plerumque durauerit, et interna ſuperficies vti et orificium callo ſaepe obducta ſint.

Fiſtularum locus ſemper in panniculo adipoſo eſt; neque conſtitit vllis obſervatis fide dignis, quantum noui, vnquam muſcularem ſubſtantiam proprie dictam fiſtulas peruaſiſſe. Omnibus ſinubus et fiſtulis communis curatio haec ſequentia requirit, 1° vt liber concilietur exitus puri et impediatur, ne illud in ſinu et fiſtula diu ſtagnare poſſit et corrumpi. 2° vt tota interior ſuperficies caui ſinus vel fiſtulae mundetur, et ad conditionem puri vulneris deducatur. 3° vt mundae partes, ſed adhuc ſeparatae, contiguae fiant et concreſcant inter ſe.

Si ſinus aut fiſtulae orificium ſic ponatur, vt contenti cavo humores propria gravitate verſus

verſus illud tendere nequeant, ſemper difficilis eſt cura: accumulabuntur enim et augebunt cauum illud praeternaturale. Iniectiones deterſiuorum tantum proſunt, quatenus ſordes tollunt et calloſitatem fiſtularum conſumunt: poſt depurationem autem factam potius nocerent, quia impedirent partium ſeparatarum unionem. Cognoſcitur autem, totam internam ſuperficiem eſſe puram, ſi pus album, laeue, aequabile exeat, nihil ſaniei vel ichoris adſit nullusque foetor percipiatur.

Si conſideretur glandularum inguinalium et ſubaxillarium ſitus, apparebit, aptiſſimas eſſe illas, vt excipiant illa, quae ex vniuerſali humorum maſſa abſcedunt: ponuntur enim in molliſſima tunica adipoſa, ab omni compreſſione membranarum fere liberae, maximis arteriis venisque et truncis neruoſis adiacent, et ab illis ramos recipiunt. Tantum autem cum reliquis horum neruorum habent commercium, vt illis laeſis ilico ſaepe hae glandulae inflammentur et tumeant. Sic vidi ſaepius in paronychia dolentiſſima ſubito ſub axilla tumorem ortum fuiſſe, licet in extremo digiti apice haereret malum. Dum acicu-

lam ſub vngue adigeret mulier mala fortuna, et neruoſam ibi reconditam pulpam laederet acerbiſſimo cum dolore, intra quadrantem horae ſub axilla eiusdem lateris tumorem inſignem natum fuiſſe miratus ſum.

GANGRAENA.

Quamdiu partes molles ſolae moriuntur, vel mortuae ſunt, gangraena vocatur, quae praecipue in panniculo adipoſo haeret: vbi vero muſculi, tendines, ligamenta, perioſteum, oſſa ipſa, perfecta mortificatione afficiuntur, tunc vocatur ſphacelus.

Cauſa gangraenae et ſphaceli eadem eſt; nempe omnis illa, quae influxum, effluxum, ſecretionem, excretionem humorum in parte quadam corporis tollit.

Non poteſt concludi, ſphacelum adeſſe, niſi certi fuerimus, profundiſſimis ſcarificationibus vel puncturis nullum omnino excitari dolorem; ſi enim aliquid adhuc viui ſub panniculo adipoſo, gangraena corrupto, lateat, poterit ſeparatio corrupti expectari.

Iure

Iure merito peritis omnibus chirurgis ſemper ſuſpecta fuit magna velocitas increſcentis mali; et quidem omnium maxime, ſi ab internis cauſis, ſine vlla laeſione externa, gangraena nata fuerit.

Hyemalis tempeſtas maxime nocet illis gangraenis, quae a quiete ſenili fiunt; aeſtas autem damnoſa imprimis, ſi poſt validas inflammationes, aut humorum putridam corruptelam, ſimilia mala ſequantur; omnium maxime, ſi intenſum calorem aeris humiditas ſimul comitetur. Certiſſimis obſeruationibus conſtitit, non omnium viſcerum gangraenam certo lethalem eſſe; ſi enim firmioris et membranaceae ſubſtantiae fuerint, vti v. g. inteſtina, et poſſibilis ſit gangraenoſi corrupti ſeparatio non tantum a partibus viuis, verum etiam ſeparati eductio de corpore, ſaepe evadunt.

Poſt validas inflammationes aut inſignes laeſiones veſicae, per vulnera, lacerationes in calculi rudiori eductione, gangraena ſequitur, peſſimi ſemper euentus: partim quod acris urina affectam ſic veſicam ſemper alluens putredinem natam augeat; partim etiam, quod numeroſiſſimis neruis praedita veſica cerebrum totumque neruoſum ſyſtema miris modis afficere poſſit.

Si iam in morbis acutis inflammatoria denſitate immeabiles facti humores, vel per errorem loci in alienis vaſis haerentes, tenerrima encephali vaſcula, vnde vita et humanitas pendent, ſic obſtruxerint, vt vitalis omnis influxus et effluxus tollatur, mors ſubita ſequetur; neque vlla fere laeſio ſenſibilis detegi poterit, cum omnem ſenſum fugiant haec minima. Nec refert, an ſtatim morbus has partes occupauerit, an vero in aliis corporis locis nata inflammatio per metaſtaſin verſus encephalon tendat. *Vidi ſic in febre continua ortum cruris dolorem, qui ſubito euaneſcebat; ſed mox orta phrenitis improviſo ſuſtulit aegrum tertio morbi die.*

Cum frequenter a ſcorbuto oriatur gangraena oris interni, ideo ſpiritu cochleariae, theriacali, et ſimilibus os colluere ſolent, ſed haec fere ſemper nocent. Si leuius malum fuerit, et incipiens tantum (quod cognoſcitur, ſi rubedo, calor et dolor adſunt, ſed nullus adhuc foetor) ſal ammoniacum, aut nitrum, multa copia aquae dilutum, addito pauculo aceti vel ſucci citri, optime proderunt, ſi os his colluatur, vel lintea his madida partibus his applicentur *leniter*; ſolent autem peſſimo

mo more chirurgi penicillis remediis his intinctis ruditer perfricare partes, quod ſemper nocet, dum dolor augetur inde, et tenerae partes deſtruuntur. Si vero iam incipiat ſerpere malum, et foetor adſit, modo dicta remedia non ſufficiunt, ſed oportet tunc ſpiritu ſalis marini domare hanc putredinem. Vnciae dimidiae mellis roſarum viginti guttae ſpiritus huius miſcentur, deinde ſaepius de die affecta pars penicillo huic remedio intincto oblinitur; augetur ſpiritus ſalis marini quantitas, ſi maior putredo adfuerit; imo in peſſimis caſibus ipſum ſpiritum ſalis marini ſine ullis aliis admiſtis applicui, et pulcherrimo cum ſucceſſu ſemper: nam ſtatim ſiſtebatur gangraenae huius progreſſus, et breui poſt ſeparabatur eſchara gangraenoſa a vivis partibus. Neque feſellit vnquam me huic auxilio vnice confidentem, niſi cum, gingiuis iam omnino corruptis, maxillae os affectum foret, tunc enim illius cariem impedire non potui; mollium vero partium oris interni gangraenam eradicat certiſſime.

Labiorum et narium gangraenae difficillime curantur. Epithelio enim quod labiorum mollem ſubſtantiam tegit, eroſo,

 nervo-

neruoſae papillae in molem immanem ſaepe expanduntur, dum coercente hoc vinculo liberantur et in peſſimum cancrum fungoſum degenerant. Si vero nares internas inueſtiens membrana corrumpatur, oſſa nudantur, in quibus, cum tenerrima ſint, nulla ſperari poteſt exfoliatio, ſed ſemper carie conſumuntur et cadunt.

Nullis obſeruatis conſtitit, quantum noui, curatam fuiſſe gangraenam in decrepita ſenectute, ſponte in pedum digitis ortam.

In hydropicis gangraena naſcitur, vel quia collecta aqua premendo partes ſuffocat, vel quia putrida et acris reddita, contigua rodit, ſed nihil tunc ſpei ſupereſt. Si enim maneant aquae, augebitur malum, cum eaedem cauſae pergant agere, quae illud produxerant. Si vero quocunque modo euacuentur aquae, flaccidae et iam fere tabefactae partes, non amplius aequabili preſſione fluidi, illas alluentis, ſuſtentatae, diffluent, vaſa rumpentur, et accelerabitur mors partis affectae et totius.

In phthiſicis autem, cum iam atrophia adſit ex cacochymia purulenta ſanguinis, tandemque putridiſſima diarrhoea ſoleant perire,

perire, patet facile, nullam ſpem ſupereſſe, ſi gangraena partem quandam corporis occupauerit. Vitales enim vires minuuntur quotidie, et acrior ſit omnium humorum indoles, vnde nec ſeparatio corrupti nec regeneratio perditi hic obtineri poterit. Cum humorum acrimonia, vaſculorum ruptura et effuſorum humorum putredo gangraenam facere poſſint, difficillima erit cura eiusdem mali, ſi ſcorbutica cacochymia ſanguis infectus fuerit. Peſſimum ſignum eſt, ſi in gangraena vel ſphacelo, extrema corporis occupante, ſigna appareant turbati cerebri.

In omnibus morbis, in quibus motus circulatorii humorum augmentum adeſt, ſiccitas naſcitur a difflatis tenuiſſimis; et contra in languidis morbis, in quibus nimis tarda et debilis circulatio eſt, accumulatis humoribus turget corpus.

Per ſcarificationes loci gangraenoſi ſpiracula fiunt, per quae aucto motu ad exteriora expelli poſſit corruptum, et admitti illa, quae putredinem praeſentem corrigant, futuram vero arceant.

Pulchrum vſum habent cucurbitae, ſi applicentur partibus viuis in gangraenae vicinia,

vicinia, vt augeatur vitalis liquidi huc ruentis impetus et copia. Sic enim ſoluentur fibrae nectentes gangraenam parti ſanae, et obtinebitur ſeparatio.

Quotidianis experimentis conſtat, animalium carnes aceto aeque poſſe praeſeruari a putredine, quam ſale. Interim hoc boni habet acetum, quod nec ſolida induret adeo, nec liquida coagulet, ſed e contra ſanguinem potius diſſoluat.

Si vel in toto corpore plethora adfuerit, vel in loco affecto vaſa immeabili liquido infarcta, a vi et impetu liquidi a tergo vrgentis nimis diſtendantur, ſanguinis miſſio proderit, quoniam imminuto liquido diſtendente reſtituuntur vaſis oſcillationes elaſticae, quae ad motum ſtagnantium quam maxime neceſſariae ſunt. Sed haec vix adhiberi debet, niſi ſatis valida febris adſit, per quam motus magnus ad exteriora fit, qui putridi in venas ingreſſum impedit.

Solum ligni Saſſafras infuſum, vili pretio parabile, potatum larga copia profuiſſe vidi ſaepius in pauperibus, qui rigidiſſima hyeme praegreſſa, in pedum extremorumque perfrigerationes inciderant.

DE

DE COMBVSTIONE.

Raro etiam in fortiſſimis hominibus calor corporis nonageſimum ſextum gradum thermometri *Fahrenheitiani* excedit: vbi vero vltra centeſimum gradum in morbis aſcendit, incipit ſanguis eiusque ſerum ad coagulationem diſponi; ſi autem centeſimum et vigeſimum gradum aequat calor, ſerum ſanguinis coagulatur. Vbi vero ad ebullientis aquae calorem, quae circiter ducenteſimo et duodecimo gradu menſurari ſolet, peruentum eſt, et citius adhuc, iam ſolidae corporis partes inde laeduntur, et deſtruuntur quaedam ex illis.

Aqua igni ardenti impoſita vix caleſcet ultra 214 gradum thermometri Fahrenheitiani, et vbi ſemel hunc caloris gradum acquiſiuit, non incaleſcet plus, quantumcunque etiam ſuppoſitus augeatur ignis. Oleum autem lini, oliuarum vel ſimile aliquod ex ſeminibus vel fructibus expreſſum dum ebullit, ad 600 eiusdem thermometri gradum facit aſcendere mercurium: vnde enormis diuerſitas effectuum obſeruatur, dum vel aqua ebulliente, aut feruido oleo,

oleo, pars corporis amburitur. Ab ebulliente pice longe periculoſior eſt combuſtio, quia illa tenaciſſime haeret.

Plures tales caſus occurrunt quotidie, et fere ſemper vidi, quod aqua ebulliens, dum in partem quandam corporis decidit, illum locum, quem primo tangit, gangraenoſum reddat; reliqua vero loca, per quae ſucceſſiue dein defluit, leuius tantum comburat.

Optimum, quod ars habet, eſt, vt molliſſimis et humectantibus ambuſtus locus foueatur continuo, ad integram curationem vsque, vt luxata his remediis vaſcula magis elongentur, et retexant plus de perdita ſubſtantia.

SCIRRHVS. CANCER.

In morbis inflammatoriis forte ſaepius ſcirrhus in locis etiam non glanduloſis naſcitur, dum per frequentes nimis venaeſectiones, debilitatis viribus, non valet impetus vitalis liquidi ſoluere obſtruentes moleculas vltimis vaſorum anguſtiis impactas, neque blanda ſuppuratione ſeparare. Inde forte poſt pleuritidem toties pleura,

imo

imo et pulmonis pleurae accreti pars in ſcirrhum indureſcit; partium enim membranacearum, poſt infelicem validarum inflammationum curam mirae obſeruatae fuerunt degenerationes.

Scirrhus diu poteſt haerere in corporis partibus, vix nocens, niſi adiacentia vaſa multum comprimat; ſi vero vel ſponte, vel imprudenti medela incipiat moueri vetuſti ſcirrhi materia, in horrendum cancrum breui degenerat.

Vt fiant motus muſculorum voluntarii, requiritur liberum commercium inter cerebrum et muſculos per neruos. Si ergo ſcirrhus neruum ad muſculum tendentem in toto hoc itinere a cerebro ad muſculum usque alicubi compreſſerit, erit muſculus ille paralyticus. Si iam ingens truncus neruoſus ad partem quandam corporis tendens, a tali cauſa comprimatur, erit perfecta paralyſis illius membri.

Si conſideretur ſcirrhi indoles, patebit ſatis, plurima inde naſci poſſe mala, ſi motus humorum per vaſa incitetur, quacunque de cauſa demum hoc fiat. Haeret enim in ſcirrho liquidum coagulatum vel inſpiſſatum, ſiue in folliculis collectum,

ſiue

ſiue per fabricam intricatiſſimam vaſcularem partium diſperſum; illud ergo tanquam mortuum et iners ibi corpus concipi poteſt: Sed vaſa hoc liquido immeabili repleta, vel folliculi eodem diſtenti, in ſuis membranis habent vaſa vitalia, per quae anguſtata, a concreto hoc ſcirrhoſo illa comprimente difficilior humorum tranſitus eſt, qui tamen adhuc fieri poterit, vbi pacatus eſt vitalium humorum motus: ſi vero per febrim v. g. augeatur circulationis celeritas, vaſcula haec vitalia, vndique a ſcirrhoſo concreto compreſſa, non poterunt dilatari, vt eodem tempore maior per illa fluere poſſit liquidorum copia; hinc fiet in his obſtructio, et vrgente velociori humorum motu, inflammatio. Cum autem a valido tunc attritu in vaſis his anguſtatis calor naſci debeat ſatis validus, ſequetur breui putrefactio concreti illius ſcirrhoſi. Patet ergo ratio, quare ex propria natura innocuus ſcirrhus, aucta circulationis velocitate, malignus fieri poſſit.

Dum ſcirrhus in quadam corporis parte haeret, aeternus adeſt metus peioris mali, cum nulla arte vel prudentia vitari poſſint omnes cauſae, quae benignum ſcirrhum in peſſimum cancrum mutare valent.

Nihil

Nihil fere pulchrius eſt, quam partem ſcirrhoſam vapori aquae tepidae exponere bis de die, dein molliter perfricare, et poſtea imponere emplaſtrum aromaticum, imprimis additis gummi ferulaceis, Ammoniaco, Galbano, Sagapeno et ſimilibus. Hac methodo per menſes continuata mammarum ſcirrhos recentes me ſaepius curaſſe laetus recordor. Plurimum etiam profuiſſe vidi, ſaponis Veneti in lacte factam ſolutionem adeo ſpiſſam, vt pultem tenuiorem referret, ſpongia exceptam, et loco ſcirrhoſo applicatam, ſuperimpoſita veſica ſuilla oleo perfricata. Pulcherrime monuit Galenus, laxantium uſu molleſcere quidem ſcirrhum, ſed non decreſcere; medicamentorum vero quae aceto conſtant applicatione eius molem inſigniter minui: vnde alternum horum auxiliorum vſum commendat. In ſcirrhis reſoluendis ſaepe argenti viui vſus profuit, tam externus quam internus, ſed tantum in ſcirrho benigno et incipiente; vbi enim in lapideam fere duritiem conuerſus eſt, et malignus fieri incipit, nullum omnino a fortiſſimis etiam mercurialibus praeparatis neque ab ipſa ſaliuatione, argento vivo excitata, leuamen expectari poteſt; quin potius exa-

cerbantur omnia et aucto humorum motu per hoc remedium, ſcirrhus citius in cancrum mutatur.

Raro in mammis ſcirrhi maiores non reſolubiles diu haerent, quin et glandulae ſubaxillares afficiantur ſimili malo.

Niſi integre tollatur ſcirrhus, minima eius pars relicta in cancrum quam certiſſime generabit.

Ne imprudentius trahatur ſcirrhus, dum ſeparatur: tenſis enim neruis, ad ſcirrhum tendentibus non tantum acerrimus dolor naſcitur, verum etiam conuulſio lethalis, diu etiam poſt operationem peractam, ſequitur.

Reſolutionis impoſſibilitas noſcitur, ſi ſcirrhus vetus fuerit, ſi color integumentorum mutatur in rubrum, purpureum vel liuidum; ſi lapidea durities et ſcabra et praerupta tumoris ſuperficies: ſin vero his omnibus accedat *Pruritus*, longe maior metus eſt, breui in cancrum tranſiturum hoc malum; incipit enim tunc moueri ſcirrhi concreta moles, leuiterque diſtendi nerui per illam diſperſi, vnde grata titillatio, et pruritus adeo moleſtus.

Sedulo

Sedulo cauendum eſt, ne ab incauto mercurialium vſu excitetur ſaliuatio, ſemper hic nocitura, cum ſcirrhoſum concretum ſoluere non poſſit, interimque motum augeat, et humorum acrimoniam, adeoque ſcirrhi in cancrum degenerationem promoueat.

Signum, cancrum a ſcirrho diſtinguens, dolor eſt;

Frequentius, dum vna mamma ſcirrhoſa fuit diu, altera ſimiliter afficitur; cum inter mammas et vterum tanta affinitas ſit, ſaepe et vterus ſimili malo laborare incipit.

Scirrhus tumor durus eſt, indolens, in parte glanduloſa. Vbi autem dolor, pruritus, titillatio, calor in hoc tumore percipiuntur, non amplius ſcirrhus vocari poterit, ſed *Cancer*.

Quamdiu integumenta cancri nondum eroſa ſunt, ſed ſuis ille adhuc pellibus continetur, vocatur occultus; vbi vero in illam malignitatem degenerauit, vt integumenta eroſerit et ſanies exeat, tunc vocatur cancer manifeſtus vel vlceratus.

Omnium maxime a menſtruis expreſſis irritantur ſcirrhi in mammis, vel et circa

vterum haerentes. Calor perceptus in ſcirrho, vel putredinem iam inceptam notat, vel breui futuram indicat; hinc ſemper periculoſus.

Omnium peſſimus dolor ille eſt, qui viui ignis, interna ſcirrhi adurentis ſenſum exhibet; tunc enim cancri occulti integumenta ſenſim a tumente eius mole diſtrahuntur, et a maiori acrimonia eroduntur.

Pulcherrime monuit *Galenus*, putredinem duplici de cauſa naſci; vel ob facultatem concoctricem debilem, quae nullam in melius mutationem putreſcentis perficere poſſit; vel ob ſummam malignitatem humoris, qui a valida etiam facultate ſuperari nequit. Vtraque autem haec in cancro concurrunt; vitalis enim liquidi, a quo concoctrix illa facultas *Galeni* pendet, efficacia nulla hic eſt, vel exigua admodum; malignitas materiae, debili hac facultate ſuperandae, ſumma eſt.

Difficillime compeſcitur haemorrhagia in cancro, a compreſſione enim, vel et liquoribus ſtypticis acrioribus, peſſime irritari ſolet cancer.

Inſanabiles ſunt vteri cancri, imprimis ſi vlcerati fuerint.

DE

DE MORBIS OSSIVM.

Obſeruatum eſt in oſſe femoris, latera eius in medio oſſe, antequam vllae lamellae ſeceſſerant, quintuplo, imo vigecuplo, craſſiora eſſe, quam in capite huius oſſis: Adeoque patet, quare verſus juncturas os partium mollium morbos frequentius patiatur; vnde etiam in fracturis longe peiora mala metuuntur, ſi circa latiorem oſſium partem prope juncturas fuerint, ob vaſorum numeroſorum laeſionem, et liquidorum effuſionem et corruptelam.

Duplicem vſum videtur habere medulloſum oleum his folliculis, in celluloſa oſſium parte locatis, contentum; lubricare nempe articulos, et inter lamellas oſſeas ſe diffundere, vt oſſium nimia ariditas praecaueatur. Vnde etiam, dum vel per morbos, vel in decrepita ſenectute, deficit illud oleum medullare, articuli difficilius mouentur et crepitant, atque oſſa non amplius hoc oleo inuncta, a leui etiam vi franguntur.

Neruos in medulla adeſſe et ideo ſenſum doloris in eadem percipi directis experimentis euicit *Duerney*.

A quacunque cauſa impediatur olei medulloſi motus, fiet ſtagnatio. Videmus blandiſſima etiam pinguia ſponte in horrendam acrimoniam mutari, quaedam citius, alia ſerius. Oleum amygdalinum blandum, dum recens preſſum habetur, aeſtiuis caloribus intra paucos dies adeo fit acre, vt fauces adurat, dum deglutitur. Butyrum pariter eodem modo ſolet corrumpi, ſed non tam cito.

Peſſimum oſſium vitium eſt caries; totalem fere eorundem corruptelam indicans, aut eroſionem: leuiora enim oſſium vitia, ſeparatis lamellis corruptis per exfoliationem ſanari ſolent, caries nunquam; ſed ferro vel igne tolli debet, donec ad viva peruentum fuerit.

A validis contuſionibus et fracturis oſſium laedi poſſe medullam, nullus dubitat. Vbi autem abſque vlla laeſione externa, ab interno vitio ortum duxerit olei medulloſi corruptio, tunc plerumque ſolet a medicis et chirurgis vocari *Spina ventoſa*, quae primo a *Rhaze*, medico Arabe celeberrimo, deſcripta fuit et hoc nomine vocata, quia conſiſtebat hic morbus in corroſione et corruptione oſſis, vna cum dolore pungente et tumore.

Spina

Spina ventoſa eſt oſſis corruptio, a vitio in ipſa medulla nato originem ducens: vbi vero oſſis corruptela in exteriori parte incipiens, verſus interiora pergit, licet tandem ipſam medullam etiam inficiat, *Caries* oſſis vocatur: illa oſſium corruptio, quae a medulla prius affecta ortum ducit, apud Graecos Veteres non legitur.

Quam maxime dolendum, malum hoc ſaepe non cognoſci, niſi ſero, quando nempe oſſe penitus corrupto incumbentia incipiunt in tumorem attolli. Lucem tamen in his tenebris dare poterunt, ſi lue venerea, ſcorbuto, vel rachitide laborauerunt prius aegroti; ex his enim nouimus, cauſas praediſponentes ad hunc morbum in corpore adeſſe. Praeſentis autem morbi ſignum fere tantum habetur vnicum, nempe *dolor profundus, pertinax, moleſtiſſimus* in intimis oſſibus, vti aegri ſolent ipſi dicere, haerens, cum ſenſu lentae eroſionis.

Maxime in hoc morbo laudatur decoctum ex ligno Guaiaco, deinde vapores calidae aquae, vel quod omnium efficaciſſimum eſt, accenſi ſpiritus vini; per horam dimidiam in debilioribus quotidie ſudores ſic mouendi ſunt, et pannis laneis

decocto Guaiaci calido madidis partes affectae fouendae.

Omnium maxime benignus oſſium morbus eſt ille, qui a perioſteo externo incipit.

Exoſtoſes, quae a laeſione externa factae fuerunt, raro curantur, niſi manuum opera tolli poſſint; illae vero, quae cauſis internis originem debent, ablatis his, ſaepe ſanantur, vel plurimum ſaltem mole minuuntur.

Ancyloſis non facile curatur: ſi enim facta fuerit ab oſſis fracti circa articulum callo, et ille iam oſſeam duritiem habuerit; incurabile malum eſt; vti etiam, ſi ab exoſtoſi vel concretione oſſium articulatorum inter ſe originem duxerit. Vbi vero a linimento *Hauerſiano* inſpiſſato, vel a ligamentis rigeſcentibus nata fuerit, niſi inueteratum fuerit malum, curae ſpes ſupereſt.

DE MORBIS INTERNIS, ET DE FEBRIBVS IN GENERE.

Nullus ſine febre viuit homo, imo et pauci absque febre moriuntur.

Summa

Summa cautela requiritur, vt indagetur abdita adeo febris natura; nihil hic aſſumendum erit ex praeconcepta hypotheſi quadam, licet ingenioſiſſima videatur, ſed ſola febris praeſentis in corpore phaenomena conſideranda ſunt, ſingula ſeorſim ponderanda, comparanda dein inter ſe, vt ſeuero ratiocinio ex his procedatur ad intellectum cauſae proximae febris. Dum acutiſſimi philoſophi, ſpeculationibus ſuis indulgentes, rerum naturalium cauſas indagauerunt, mira ſaepe luxuriantis ingenii commenta protulerunt, absque magno damno tamen. Vbi vero in morborum natura indaganda ſic proceditur, falſae hypotheſi ſuperſtruitur curandi methodus, et in re maxime ſeria, vbi agitur de vita et ſanitate proximi, luditur.

Tria phaenomena omnibus febribus communia obſeruantur. *Horripilatio, Pulſus velox, Calor.* Horripilatio vocatur, quando a frigoris ſenſu totum corpus horret ac concutitur, et obſeruatur ſemper adeſſe in omni febre, quae a cauſis *internis* oritur. Vt febris acuta dici poſſit, requiritur, vt periculum velocitati iungatur; ſola autem tarditas ſufficit, vt febris lenta vocetur, ſiue vitae periculum adſit, ſiue non:

Quartana enim vix vnquam, niſi aegri vel medentis incuria, lethalis, aeque longis morbis adnumeratur, quam febris hectica, a qua pauciſſimi euadunt.

Epidemicae febres, cum a communi cauſa oriuntur, ſimilem decurſum atque eadem fere ſymptomata habent, atque eandem curandi methodum requirunt. Sporadicae autem a diuerſiſſimis, imo et ſaepe oppoſitis inter ſe cauſis natae, variam in ſingulis hominibus medelam poſtulant. Frequentius obſeruantur febres epidemicae acutae, rarius longae, et inter has praecipue quartanae. Quidquid de febris natura ſcimus, illud tantum per effecta et attributa eius inſeparabilia cognoſcimus, vlterius enim humani intellectus perſpicacia procedere non videtur. Sic enim in omni febre conſtanti obſeruatione detegitur, augeri pulſus velocitatem, adeoque cor velocius contrahi, atque illas cauſas, vnde cordis contractio fit, augeri: verum quomodo illae cauſae, cor in motum velociorem excitantes, agant, qua ratione, v. g. in febre intermittente tertiana alternis diebus renaſcantur vel actuoſae fiant, quae intermedio die nihil omnino agere obſeruantur, hactenus latuit omnes.

Quoties

Quoties dilatatur arteria, toties pulſat. Cum ergo arteriae dilatatio cordis contractioni ſynchrona ſit, patet euidenter, non poſſe accelerari pulſum, niſi ſimul velocior fiat cordis contractio, quae ſola et vnica cauſa eſt dilatationis arteriarum. Omnia enim illa, quae de ſanguinis ebullitione, fermentatione, efferueſcentia etc. in cauis cordis dicta fuerunt ab auctoribus quondam, falſa eſſe directis experimentis contrarium probantibus, euictum fuit; atque certiſſime conſtitit, cauſam pellentem ſanguinem ex corde in arterias non haerere in ipſo ſanguine, ſed in ipſo corde. Febris ergo merito vocari poterit morbus cordis, cum in omni febre cordis actio mutetur, velociori nempe facta cordis contractione.

Ex Anatomicis et Phyſiologicis conſtat, cordis muſcularem motum, dum agit, facere neceſſario quietem ſiue paralyſin cordis, atque per illam iterum diſponi ſic omnia, vt momento poſt noua cordis contractio ſequi debeat. Sic enim diſpoſiti ſunt nerui ad cor tendentes, vt dilatatis a ſanguine expulſo ex cordis cauis arteriis maximis, aorta nempe et pulmonali, ſimulque eodem tempore tumentibus ſinubus

bus venoſis et auriculis cordis, comprimi debeant, adeoque impediri ſpirituum influxus per hos neruos in villos muſculares cordis, ſimulque eodem tempore omnis ſanguis ex vaſis per cordis ſubſtantiam diſperſis exprimitur, (pallet enim cor, dum in ſyſtole eſt.) Tolluntur ergo binae illae cauſae, quae ad motum muſcularem abſolute requiruntur, ſpirituum nempe et ſanguinis arterioſi influxus. Illo autem momento temporis, dum cor quaſi paralyticum ab influente ſanguine venoſo repletur in ſuis cauis, aorta contrahitur, et ſumma vi, ſanguinem per orificia arteriarum coronariarum vrget per totam cordis ſubſtantiam, ſimulque nerui, contractis iam arteriis, et euacuatis ſinubus et auriculis, non amplius compreſſi, liberrime transmittant ſpiritus a cerebello per neruos cardiacos ad cor delatos, adeoque renaſcuntur binae cauſae muſcularis motus, vnde cordis contractio ilico ſequitur.

Quartanam plerumque validum et diuturnum frigus in paroxyſmi initio comitari ſolet: in ephemera febre incipiente leuiusculi frigoris ſenſus ſaepe tantum percipitur.

Saepe

Saepe tanta debilitas pulſus in frigore febrili obſeruatur, vt vix percipi arteriae pulſatio poſſit; imprimis in ſenibus hyemali tempore Quartana febre laborantibus: ſimulque adeſt tanta velocitas, vt tremere potius arteria celerrime, quam veram diaſtolen et ſyſtolen habere ſentiatur. Vbi autem tanta celeritas pulſus eſt, vt decuplo maior ſit, quam in ſtatu naturali, nemo rythmum eius diſtinguere poterit, ſed mirus tantum vndulatorius motus a tangente percipietur: imo et manu pectori appoſita ſentitur cor tremere quaſi, non vero, vt ſolet, valida vi coſtas ferire. Subinde tunc fortior diaſtole arteriae emicat, mox debiliſſimus iterum et celerrimus pulſus apparet: imo et aliquando vera pulſus intermiſſio percipitur hoc tempore; tuncque ſaepe conqueruntur decumbentes tali febre, quod quibusdam momentis caligent oculi, nec audiunt, nec ſentiunt fere. Videtur tunc idem obtinere, quod in viuis animalibus diſſectis circa mortem apparet; videmus enim, quod cor tunc non amplius valens ſingulis ictibus expellere contentum cauis ſuis ſanguinem, tremat quaſi, et debili motu aliquid ſaltem exprimat, quod arteriis multum dilatandis non ſufficit: interim

terim diſtenduntur auriculae et ſinus venoſi ſummopere, et poſt aliquot momenta temporis ſubitiſſime contrahuntur, ſanguinemque valida vi in cordis caua proiiciunt, quod tunc irritatum copia et impetu irruentis ſanguinis venoſi validiſſime contrahitur, moxque iterum languet et tremit, donec a ſimili cauſa excitetur iterum, vel mortuo animali ceſſet tandem omnis motus. Ex dictis facile poterit explicari *Galeni* locus, vbi certiſſimum Quartanae incipientis ſignum ponit, pulſus raritatem et tarditatem. In ſummo enim talis paroxysmi frigore tremulo motu, et ſaepe ſatis obſcuro, agitatur arteria, deinde poſt aliquot momenta vnica ſaepe arteriae diaſtole percipitur ſatis valida, moxque iterum ceſſat, poſtea iterum maiori minoriue interuallo rediens. Vnde ſi validi illi pulſus numerentur, tarditas videretur, cum tamen intermedio tempore reuera celerrimus, ſed et debiliſſimus ſimul arteriae motus ſit. Accedit, quod aliquando per aliquot momenta, omni motu abolito, vera ſyncope intercurrat: Simul apparet, quanto in periculo tunc verſentur aegri, et quare in frigore febrili aliquando extinguantur.

Viui-

Viuidus ille in homine ſano color a ſanguine rubro vaſa replente oritur, vnde ſimulac a quacunque cauſa incipiunt cordis vires ſic debilitari, vt ad extrema corporis ſanguinem propellere nequeat, contractae arteriae propria elaſticitate (imprimis circa illarum fines, qui a cordis vi minus vrgentur) retropellunt ſanguinem in maiores ramos; ſubcutaneae ergo arteriae minimae in extremis corporis deplentur, vnde pallor naſcitur.

Patet partes eo magis flexiles eſſe, quo liquidorum copia magis abundet ratione partium ſolidarum: verum in febre incipiente cordis vires minutae minima in extremis corporis partibus vaſcula replere nequeunt, atque eadem contracta, liquores contentos repellunt in maiora vaſa, atque hinc vna cauſa rigoris nati in febrium initiis pendet. Praeterea frigus, omnia contrahens, ſolidarum partium cohaeſionem auget, adeoque et rigorem; experiuntur hoc omnes, qui acerrima hyeme manus algidiſſimas ſentiunt, nam et ſimul digiti ſic tunc rigeſcunt, vt nihil illis apprehendi poſſit. Cum ergo binae hae cauſae tunc concurrant, non mirum eſt, ſummum ſaepe rigorem naſci frigoris febrilis tempore.

In

In febribus intermittentibus, niſi prouectae aetatis vel admodum debiles fuerint aegri, quo maius frigus adfuit, eo intenſior calor ſolet ſequi.

Optimum omnium ſignum eſt, ſi calor febrilis aequabiliter per totum corpus ad extrema vsque diffundatur; meabilem enim ſanguinem et libera vaſa indicat. Longe periculoſius malum eſt, ſi a nimia ingeſtorum copia, calore et mora rarefactorum, ſummopere diſtendatur ventriculus; tunc enim obſeruatum fuit, ſumma vi conſtringi ſpasmodice vtrumque ventriculi orificium, vnde intolerabilis anxietas, irritus vomendi conatus, et ſaepe lethalis apoplexia: dum aortae deſcendentis truncus a tumente ventriculo premitur, ſicque maiori copia et impetu ſanguis verſus encephalon vrgetur, atque vaſa quam maxime turgentia aliquando rumpuntur.

Dum in febribus ardentibus inflammatoria denſitate ſanguis in minimis arteriolis haeret immeabilis, hae diſtentae ſecretoria et excretoria vaſcula adiacentia comprimunt, vnde tota cutis externa, lingua, os internum, fauces etc. aridiſſima cernuntur: et vbi a periculoſiſſimis his morbis euadent

aegri, primum fere vincentis morbum naturae ſignum eſt, ſi humiditas redire incipiat.

Omnis febris vitam non ſupponit tantum, verum etiam eſt ipſius vitae affectio, conantis mortem auertere.

Ad bonam digeſtionem plurima requiruntur, et inter illa imprimis, vt ſuccus gaſtricus, entericus, pancreaticus, bilis vtraque bona ſint: verum patet, per febrim ſanos humores ſaepe mutari in morboſam indolem; atque omnium frequentiſſime et citiſſime in febribus bilis degenerat, vnde toties vomitus bilioſi, diarrhoeae ſimiles, ructus amari, ſapor peſſimus in ore etc. in febribus obſeruantur, ſimulque tunc ſemper appetitus proſtratus eſt.

Febris ſaepe ſanationis cauſa eſt. Dum v. g. legitima quartana laborat homo, toto frigoris tempore, quod ſaepe per horas durat, omnes partes corporis externae et internae concutiuntur validiſſime; contractae arteriae extremae contenta liquida in latiores truncos retroagunt, vti docet pallor cutis externae. Si ergo aliquid obſtruens haeſerit circa extrema vaſa, illud retropellitur in maiora vaſa; interimque per

tremorem febrilem omnia vaſa et viſcera miro modo agitantur. Poſt haec ſequitur calor, ſenſim auctus, ſimulque adeſt validus et celer ſimul humorum motus per vaſa iam non amplius contracta, ſed peruia. Omnia ergo fluida fortiter agunt in vaſa continentia, et haec viciſſim ſimiliter reagunt in fluida contenta; intima fit miſcela omnium, et ſubactio talium, quae aequabili circulationi reſiſterent; ſimulque feliciſſima ſaepe reſolutio pertinaciſſimarum obſtructionum, modo nondum irreſolubilis ſcirrhoſa diatheſis adſuerit. Ob hanc forte cauſam balnea frigida, prudenter applicata, ſaepe profuerunt in morbis pertinaciſſimis; frigida enim perfuſum corpus horret, friget, concutitur, tremit, fere vt in febrium initiis fit, et dein vbi calor corporis illud frigus ſuperauit, ſatis magnum ſaepe caloris augmentum fit.

Generalis indicatio curatoria in omni febre eſt, ſic temperare impetum, vt deſtructis ſolidis, vel nimis inſpiſſatis liquidis, inflammationes, ſuppurationes, gangraenas etc. producere nequeat; neque interim ſic langueat, vt morbi materiam non valeat ſubigere, mutare, mouere et excernere.

Febris

Febris in ſanitatem terminatur duplici via; vel enim cauſa materialis febris per febrim ipſam ſic mutatur, vt ſanis humoribus aſſimilata cum illis absque vllo aequabilis circulationis impedimento per vaſa moueri poſſit; vel eadem haec materia vi febris ſubacta et mobilis reddita, expellitur de corpore.

Omnes evacuationes ſive per vomitum, ſiue per diarrhoeam, ſiue per ſudorem fiant, tantum proſunt, quatenus materiam febrilem expellunt de corpore, vel in totum, vel pro parte; vnde vel abigitur integre morbus, vel ſaltem levatur.

Bina ſunt diagnoſios in morbis fundamenta; primum pendet a cognitione cauſarum praegreſſarum, quae tales ſunt, ut illas morbum illum antea feciſſe conſtet; ſecundum fundamentum habetur ex cognitione morbi in ſua natura, et effectibus praeſentibus.

Semper debemus memores eſſe moniti Hippocratici, quod nempe periculoſior longe error committatur in defectu, quam in aliquo exceſſu.

Senes quidem facillime jejunium ferre dixerat *Hippocrates.* Hoc quidem in ſa-

nitate verum eſt, et in illis qui cruda adhuc ſenectute vigent, quia nec ad incrementum, nec ad robur, ſed ad eſſentiam ſolam aluntur, atque vaſorum plurimorum caua vel integre tolluntur, vel minuuntur plurimum, vnde et minor liquidi transfluxuri quantitas requiritur. Accedit, quod omnia vaſa, iam rigidiora facta, liquidis impulſis minus cedere poſſint; verum per febres expelluntur plurima de corpore; liquidorum hinc imminuta quantitate exſiccatur corpus: Sed, *quia naturae progreſſum, qui eſt ad ſiccitatem, effugere non licet, ideo ſeneſcimus et corrumpimur*, adeoque per febrim ſenectutis vitia augebuntur, niſi blando et humectante victu ſuccurratur. Sed imprimis hic copia parca et repetita ſaepe opus eſt, quia debilis in ſenibus vitalis flammula a copioſioribus extinguitur, et pauciſſimis quidem eget fomitibus, ſed continuo, ob rationes modo dictas, ſubminiſtrandis. Accedit etiam, quod a defectu in ſenectute ſumma ſyncope ſaepe lethalis breui ſequatur; quia minuta liquidorum copia vaſa rigida non contrahuntur proportionaliter, vnde tunc vaſorum actio nulla in liquida contenta, adeoque vna ex cauſis, quae liquidorum motum per vaſa continuant, deficit;

deficit; hinc ſtagnatio et mors: cor enim expulſo ſanguine ex cauis ſuis dilatat quidem arterias, verum momento poſt arteriae contractae debent promouere impulſum ſanguinem, vt circulatio maneat, atque vt hoc fiat, arteriarum latera contigua manere debent vndique liquido contento: verum vaſis iam rigidiſſimis in vltima ſenectute, et ſimul humorum copia per febrim diſſipata, hoc fieri non poſſe, facile apparet. Adeoque patet ratio, quare ſenibus febricitantibus nimia abſtinentia adeo noceat.

In phthiſicis quibus pulmo lenta ſuppuratione tabeſcit, continua febricula adeſt; quotidie ſaepe, dum nouus chylus maiori copia vna cum ſanguine per pulmonem pellitur, exacerbata: illam febrim de intermittentium genere eſſe ideo voluerunt quidam, et corticis peruuiani vires experiebantur, ſed peſſimo ſemper cum ſucceſſu, quia, manente fomite purulento, ſuffocabatur febrilis motus, per quem debebat expediri pus collectum, vnde ſumma anxietas et aliquando mors ipſa ſequebantur: tota enim curatio talis mali eſt, vt detergatur et eluatur quaſi illud purulentum, et

deinde purus locus vulneris inſtar conſolidetur.

Peſſima venena ſolo ſulphure domantur; accenſi eius vapor omnem fermentationem praecauet, vel natam iam ſuffocat, atque omni putredini quam maxime reſiſtit.

Venae ſanguineae laxiores ſemper arteriis facilius diſtendi poterunt; verum et his aucta ſanguinis copia repletis, arteriae ſe difficilius in venas euacuare poterunt, vnde maior arteriarum diſtentio fiet. Cum autem in plurimis corporis locis arteriae venis accumbant, arteriae diſtentae venas prement; vnde ſanguis ex his verſus cor dextrum perget, mox in arterias iam diſtentas denuo pellendus. Vnde patet tandem in ſumme plethoricis omnem ſanguinem fere accumulari in arteriis. Verum cordis ſyſtole, dum ſanguis in arterias iam pleniſſimas premitur, vaſa ſeroſa et lymphatica arterioſa, ex rubris arteriis orta, ſic dilatantur, vt ſanguinem rubrum admittant; vti docet adnata oculi, et tota cutis ſaepe ruberrima in plethoricis: vnde et haec vaſa dilatata minores arteriolas adiacentes compriment. Vbi autem febris adeſt ſimul, calore hinc nato rareſcit ſanguis, adeoque

que neceſſario omnia haec mala augentur. Sic videmus aliquando in febribus ardentibus totum corpus rubore perfuſum; dum ſimul ſquallida cutis, lingua, fauces, os internum, ſicciſſima docent, minora vaſcula impervia eſſe, a maioribus, rubro ſanguine nimis turgentibus, vera θλιψι compreſſa.

Vnicum et maxime neceſſarium auxilium in tali caſu eſt venaeſectio: accidit tamen aliquando in plethoricis, poſt ſanguinis miſſionem, febrim, quae prius mitis videbatur, augeri immaniter; ratio haec eſt, quia ſanguine copioſo, per febrilem calorem rarefacto adhuc, diſtentiſſimis vaſis, ſuffocatur omnis motus, qui breui augetur iterum, ſimul ac per venaeſectionem minuitur diſtendens moles. Vnde in tali caſu aegrum et amicos monere debet medicus, ſummum diſcrimen rupturae vaſorum ob nimiam plenitudinem adeſſe, adeoque venaeſectionem requiri; illa tamen celebrata, expectandum eſſe augmentum febris, quae nunc ſuffocata et mitis apparet.

TREMOR FEBRILIS. ANXIETAS FEBRILIS.

Ingens tremor in febribus malus, quia deſignat vtriusque liquidi, arterioſi nempe et neruoſi, defectum vel immeabilitatem; ſimulque validus talis tremor, in initio febris natus, deſignat efficaciam cauſae, quae in corpore antea ſano tantas turbas excitare potuit. Simul etiam quia ingens tremor impedimenta ponit circulationi humorum, merito multa mala inde metuuntur. Praeterea et tremores, qui in febrium acutarum vel et aliorum morborum decurſu naſcuntur, niſi criticas euacuationes praecedant vel comitentur, ſaepe peſſimi ominis ſunt, quia deſignant plerumque morbi materiam caput petere, et ibi turbare liquidi neruoſi aequabilem motum in ipſa omnium neruorum origine, id eſt, medulloſa encephali ſubſtantia.

Seuero examine indagandum ſemper eſt, quaenam cauſa ſit anxietatis (in febribus ſcilicet) et quo in loco corporis haereat. Summum enim diſcrimen habet illa

anxietas,

anxietas, quae ab impedito tranſitu per fines arteriae pulmonalis pendet: minus periculoſa illa, quae ab impedito cruoris tranſitu per venam portarum pendet; licet tamen et peſſima inde ſequi poſſint mala; omnium minime periculoſa illa anxietatis ſpecies, quae a flatibus et ſpaſmo contractis vaſculis, ob inordinatum ſpirituum motum fit, vti in hyſtericis et *hypochondriacis* toties obſeruatur.

Spaſmodica anxietas parum, inflammatoria maxime eſt periculoſa; quia, dum eo vsque increvit anxietas, vt in animi deliquium incidant, vel paulo poſt inciderent aegri ſpaſmodica anxietate correpti, ſoluitur ſpaſmus: quia cor tunc ſanguinem verſus encephalon pellere debita vi nequit: hinc nec illud ſpiritus mouere per neruos; adeoque ceſſat inordinatus ille influxus ſpirituum in quasdam partes, et leuatur anxietas. Patet hoc quotidianis obſeruationibus in faeminis hyſtericis, dum gulae muſculi ſpaſmo conſtricti interceptum aerem in oeſophagi tubo retinent, qui expanſus colore loci tumorem magnum facit, vicina omnia comprimentem cum ſenſu inſtantis quaſi ſuffocationis; ſimulac enim

hae mulieres animo linqui incipiunt, ſoluitur ſpaſmus, et valido ructu exploditur coërcitus aer, totumque malum ceſſat. Verum in anxietate inflammatoria ſanguis immeabilis haeret circa arteriarum extrema, atque ſanguis ex corde pulſus in haec obſtacula, liquidiſſima exprimit, condenſat reliqua, vnde omni momento augetur cauſa mali, et breui mors ſequetur, niſi ſubito ſolui poſſit obſtruens illud inflammatorium, quod ſaepe fieri nequit. Acetum ſex vel octo partibus aquae dilutum, addito ſaccharo vel melle ad ſaporis gratiam, calide potatum, optime ſudores mouet; ſimul ſanguinem diluit, et omni putredini efficaciſſime reſiſtit. Pulcherrimum vſum habent clyſmata, vbi in anguſtiis venae portarum viſcidum inflammatorium haeret, quia, venis inteſtinorum in venam portarum directe ſe exonerantibus recepta, ſtatim ad locum affectum, vix mutata, perueniunt.

❀ ❀ ❀

NAVSEA

NAVSEA FEBRILIS. RVCTVS ET FLATVS. DEBILITAS FEBRILIS.

Naturali lege primae viae ab ore ad anum vsque muco obliniuntur, qui et lubricitatem internae ſuperficiei harum partium conciliat, et ſimul illam defendit, ne ab aſperis corporibus deglutitis, vel ab acrioribus ingeſtis, tam facile laedi poſſit. Mucus ille, poſtquam his vſibus inſeruiuit, ſenſim detergetur, et imprimis ſaponacea bile diuiditur, atque tandem cum faecibus per aluum exit. Vbi vero mucus ille ſolito tenacior eſt, aut bilis inertior fuerit aut parcior, ſenſim accumulatur, ventriculum grauat, et fluctuatione irritat; ſicque nauſeam parit moleſtam et ſaepe ſatis diuturnam.

Mirum commercium inter ventriculum et encephalon intercedit, vnde hoc turbato, facile nauſea et vomitus ſequuntur.

Materia elaſtica flatuum in inteſtinis adeſt ſemper, flatus tamen et tormina tantum tunc fiunt, quando ſpaſmodica contractione inteſtinum conuellitur.

Flui-

Fluidorum noſtrorum per vaſa motus a binis cauſis diſtinctis pendet; corde nempe impellente ſanguinem in arterias conuergentes, illasque diſtendente, et deinde arteriarum actione, qua renituntur ſuae dilatationi, et ſe contrahunt illo tempore, quo cor eſt in diaſtole. Verum ſanguinis illa quantitas, quae ex cordis cauis in arterias proiicitur, non ſufficeret illis omnibus dilatandis eodem tempore in diſſitis corporis locis, niſi arteriae plenae forent tunc quando per cordis ſyſtolen ſanguis in illas impellitur. Simulac ergo tanta jactura fluidorum facta eſt, vt in vltimo contractionis ſuae limite arteriarum latera non ſint vndique contigua liquido contento; ſanguis, corde expulſus, arterias replebit absque vlla dilatione, et momento ſequenti, dum cor eſt in diaſtole, arteriae non contrahentur, quia non fuerunt dilatatae; adeoque non promouebitur ſanguis illarum cavis contentus, ſed ſtagnabit, donec pluribus vicibus cor expulerit ſanguinem in arterias, illasque iterum ſic impleuerit, vt ſequenti ſyſtole illas dilatare poſſit. Vacillabit itaque naturalis humorum per vaſa motus, deficiet copia ſanguinis per vaſa encephali pellendi; minuetur preſſio, qua vrgen-

vrgentur liquida in vaſa ſecernentia corticis cerebri et cerebelli; adeoque deficiet ſecretio ſpirituum, et illorum motus aequabilis per neruos, vnde debilitas ergo ſequi debet neceſſario.

CALOR FEBRILIS.

Rubri ſanguinis pars, cum maximis fluidorum noſtrorum moleculis conſtet, et per maxima corporis vaſa moueatur, calori per attritum producendo aptiſſima erit, et conceptum ſemel calorem diutiſſime ſeruabit. Quo enim corpus aliquod conſtat materia denſiore, quo maius mole exiſtit, et quo figurae ſphaericae exactius eſt, eo diutius ignem receptum in ſe conſeruat. Illae autem omnes dotes in rubra ſanguinis parte obſeruantur, ſi comparetur cum reliquis fluidorum noſtrorum elementis. Ob hanc cauſam vaſa, ſanguine rubro calido plena, ponuntur in illis corporis locis, vbi tenuiſſima fluida per minima vaſa fluunt, vt caloris defectum ſuppleant. Sic per encephali medullarem partem vaſa ſanguinea ſatis magna diſpergi nouimus, medullam oblongatam cingere, per plexus choroi-

choroideos in ventriculis cerebri diſpergi etc.

Praecipuum ſignum nimiae molis mouendorum eſt, ſi pulſus arteriae velox et magnus ſit, ſimulque venae inflatae quaſi turgeant; tunc enim nouimus, omnia vaſa ſanguinea pleniſſima eſſe.

Omnium functionum vitalium et animalium integritas ab expedito fluidorum motu per vaſa pendet. Sed per calorem auctum ille motus turbatur, vel et integre aboletur; ſiue ruptis vaſis minoribus, ſiue maioribus immeabili materia diſtentis et minora comprimentibus hoc factum fuerit. Vbi ergo hae noxae nimii caloris contingunt talibus corporis partibus, a quibus vita pendet, cita mors ſequitur; et quidem omnium ſubitiſſima, ſi immani caloris augmento ſerum ſanguinis coagulari incipiat: breui enim illud in pulmonis anguſtiis haerebit, atque omnem ſanguinis tranſitum ex corde dextro per pulmonem in cor ſiniſtrum impediet; adeoque acutiſſima et lethalis peripneumonia aderit. Idem fiet, ſi cerebelli fabrica vel deſtructa, vel immeabili humore ſic infarcta fuerit, vt vitalium ſpirituum per neruos ex cerebello in

cor

cor influxus impediatur. Patet ergo, quanta cura attendendum ſit ad hoc ſymptoma febrile, vt funeſti tales euentus, imminuto per artem nimio calore, praecaueri poſſint.

Crediderunt multi, peſſimarum febrium intolerabilem aeſtum putrefactioni, vt cauſae, adſcribendum eſſe. Verum patebit, credo, examinanti, putredinem in noſtro corpore potius caloris effectum eſſe, non vero cauſam; imo putredinem natam non calefacere ſua vi proprie dicta, ſed tantum quatenus per hanc augetur motus humorum per vaſa celeritas, adeoque attritus.

DELIRIVM FEBRILE. PERVIGILIVM FEBRILE. CONVVLSIO FEBRILIS. SVDOR FEBRILIS. DIARRHOEA FEBRILIS.

Hodie communi in arte vſu obtinet, praecordiorum nomine intelligere omnia illa, quae haerent in illo ſpatio, quod inter diaphragma et planum perpendiculare

diculare circa finem diaphragmatis in lumbis erectum, et abdomen bifariam ſic diuidens, concipi poteſt; adeoque praecordia complectuntur cardiam dictam, hypochondria, epigaſtrium. Fidelis obſeruatio morborum docuit, ſordes circa praecordia haerentes, ſiue ex indigeſtili materia aſſumta et hic corrupta; ſiue a contagio morboſo, vel a ſponte ſecretis liquidis, nec excretis tamen, ſed hic ſtagnantibus et corruptis, natas, turbare poſſe omnes actiones cerebri, deliria, furores et alia peſſima mala producere. Vnico vomitorio dato, excuſſa hac ſaburra, recordor plures ilico reſipuiſſe. Sordes circa praecordia collectas docent imprimis, *lingua ſordida, ſapor amarus faſtidioſus, nauſea, vomitus, anxietas.*

Dupliciter proſunt purgantia in delirio febrili, primo quatenus ſaburram morboſam circa praecordia haerentem deturbant; ſecundo quatenus nimium impetum arterioſi ſanguinis minuunt atque eundem a capite verſus alia loca reuellunt, ſimulque copiam liquidi vaſa nimis diſtendentis tollunt.

Haemorrhoidum ſolutio ſemper obſeruata fuit profuiſſe in capitis morbis, nec mirum

mirum, cum haemorrhoidalia vaſa et carotides arteriae oppoſita directione ſanguinem ferant, vnde ſumma reuulſio iure expectari poteſt.

Menſtrua in foeminis prouocare ob eandem rationem proderit; verum hoc tentandum eſt per illa remedia, quae laxant et emolliunt, minime vero per emmenagoga remedia, quorum plurima circulationis impetum et velocitatem augent, ad quam conducunt pediluuia, epiſpaſtica et frictiones partium inferiorum; et haec imprimis cum ſpe tentanda ſunt, quando conſuetum tempus periodicae huius euacuationis inſtat, vel dolor lumborum, inguinum, femorum, tenſio nuchae aliaque ſigna docent, menſtrua forte ſolito citius priditura.

Dum in fine morborum acutorum, exhauſtis iam per morbum viribus, delirium tamen manet, *euacuantia omnia nocent*, et horum imprudentem vſum ſaepe *immedicabilis ſtultitia* ſequitur. *Pulſus autem paruus et debilis*, *calor imminutus*, collapſa vaſa facile docent, a ſimilibus tunc abſtinendum eſſe.

In morbis acutis, dum ſalubris et critica narium haemorrhagia futura eſt, vigi-

liae ſaepe praecedunt; delato nempe maiori impetu et copia ſanguine verſus caput: vnde tunc plerumque capitis dolor, ceruicis tenſio, oculi rubri etc. obſeruantur.

In curandis conuulſionibus febrilibus in genere ſtatuere poſſumus, quod proſint illa, quibus acre leniri, impactum reſolui, contractum laxari poſſit.

Cauſa ſudoris febrilis duplex eſt; vel enim vaſorum, ſudorem in ſuperficie cutis eructantium, extrema laxiora ſunt, adeoque facilius cedunt liquidis impulſis; vel per vehementiorem circulationem ad organa haec ſecernentia et excernentia eodem dato tempore, maior liquidi copia applicatur: vel denique aquoſa et tenuiſſima ſanguinis pars, reliquis minus cohaerens, facilius ſeparatur. Poſſunt autem iam hae cauſae adeſſe ſolitariae, vel et vnitae maiorem effectum producere.

Spirituoſa liquida ad compeſcendos ſudores a nimia humorum tenuitate, et laxitate vaſorum cutaneorum multum proſunt.

Ex hepate per porum bilarium, ex veſica fellis per ductum cyſticum in inteſtinum duodenum via patet; vnde diarrhoeae bilioſae, hepaticae, atrabilariae etc. fieri poſſunt.

In

In diuturnis lienteriis ructus acidus obortus, qui prius non aderat, bonum ſignum; notat enim aliqualem rediiſſe vim contractilem ventriculo et inteſtinis, qua coercere poſſint ingeſta ſaltem tamdiu, vt ſpontanea mutatione degenerare incipiant, et acidos ructus facere; cum in lienteria, proprie dicta, ingeſta omnia cito tranſeant per aluum non mutata.

EXANTHEMATA FEBRILIA. FEBRIS CONTINVA. FEBRIS CONTINVA PVTRIDA.

Hoc peculiare habent morbilli, quod illis euaneſcentibus, debito quamvis morbi tempore, febris increſcat, tuſſis augeatur, et reſpirandi difficultas, imo et ſaepe peripneumonia ſequatur. Hae ſunt praecipuae notae, quibus morbilli a reliquis exanthematibus febrilibus diſtinguuntur.

Generalis cura febrium quatuor requirit: vitae nempe et virium conſeruationem, acris irritantis correctionem vel expulſionem, lentoris diſſolutionem et expulſio-

 nem,

nem, denique et ſymptomatum mitigationem.

Febres continuae putridae dicuntur, dum a naturali ſtatu humores multum degenerant, ſimulque in putredinem vergunt; vnde et varius malignitatis in his gradus obſeruatur, pro maiori minoriue eiusdem degenerationis intenſitate.

In aliis febribus, licet ſtatim primo attactu magnus ſatis calor videatur percipi, ille tamen a tangentis digiti calore vincitur et paulo poſt minor apparet: in putridis vero illis febribus continuis ſaepe in initio leuior videtur calor, dum tangitur aegri manus, ſed augetur quaſi omni momento, et tangentis medici digitum quaſi pungit et mordet, ac ſi de profundo corporis calor emergeret.

Febrili pulſu, inaequali, non ordinato optime ſynochus putris ab ephemera et ſynocho ſimplici diſtinguitur; in illis enim pulſus fortis, aequalis, neque celeritate multum excedens pulſum ſanum deprehenditur. In ſynocho putri maior celeritas pulſus, ſed et ſaepe inaequalitas adeſt, tam in robore quam velocitate. Fit autem haec inaequalitas, vel quia ſanguis inflammato-

matoria ſpiſſitudine immeabilis circa extremas arteriarum anguſtias haerere incipiens, vel ſaltem non niſi difficulter transiens, circulationis aequabilitatem tollit; vel etiam quandoque dum ſingularis acrimonia, harum febrium cauſa, miro modo turbat omnia, vnde ſaepe ſtatim ſumma debilitas, pulſus vacillatio, aliaque grauia ſymptomata oriuntur.

Praeſtat in vtraque manu pulſum explorare, cum ſaepe ob ſitum profundiorem, vel diuerſam magnitudinem arteriae, in vna manu longe debilior pulſus percipiatur quam in altera.

FEBRIS ARDENS.

Siccitas in cute tota, naribus, ore, lingua (in febribus ardentibus) fit partim ob difflatam ſanguinis partem tenuiſſimam et aquoſam per calorem febrilem; partim etiam quia reliquus ſanguis immeabilis dum haeret in vaſis maioribus, illa diſtenduntur, et vicina minora comprimunt: vnde in talibus aegris cutis ſicca et aſpera apparet, quia vaſa ſanguinea ſubcutanea immeabili ſanguine repleta comprimunt tenerrima ex-

halantia, ſimulque deficit tenuis in ſanguine latex, idem iam in oculis, naribus, ore, lingua verum eſt: Hinc dixit Hippocrates, ſiccitate perire illos, qui ex febre ardente intereunt.

Tria in reſpiratione conſiderantur; inſpiratio, expiratio et tempus medium inter inſpirationem et exſpirationem. Denſitas vel raritas reſpirationis tempus illud intermedium reſpicit; celeritas vero vel tarditas proprie ad inſpirationem et exſpirationem pertinet. Magna autem et parua reſpiratio variam dilatationem ſpirabilium organorum demonſtrat. Reſpiratio ergo, quae denſa et cita eſt, celeritatem inſpirationis et exſpirationis, et exiguum ſimul inter binos hos contrarios motus interuallum denotat; anheloſa vero difficultatem et moleſtiam, qua hi motus peraguntur, ſignificat. Cum autem tantus circa vitalia ardor ſit, et ſanguis rapidiſſime per pulmonem moueatur, ſimulque ſummo cum aeſtu exaſſatus difficulter per pulmonaris arteriae anguſtias tranſeat; patet ratio, quare miſeri hi aegri tam cito et tanto cum molimine reſpirent, vt nempe gratum refrigerium attracti aeris percipiant et ſanguini per pulmonem viam expediant.

Dum

Dum vaſa ſanguinea pulmonis, immeabili ſanguine nimis diſtenta, turgent, et veſiculas aëreas pulmonis ſic comprimunt, vt illarum ſuperficies ad ſe mutuo atterantur, tunc irritans et ſicca tuſſicula aderit, qualis in peripneumonia obſeruatur. Sola maior ſiccitas pulmonum in parte aërea tali tuſſiculae cauſam dare poſſet.

Semper aliquid de genio intermittentium febrium adeſt in febre ardenti; atque ideo ſaepe, dum diutius protrahuntur tales febres, poſtea in intermittentes mutantur. In febre ardenti ſanguis tenuiſſima ſua parte orbus in concretionem tendit atque in arteriis haerere incipit, vnde ibi accumulatur illasque diſtendit: in venas transprimitur tantum adhuc maxime fluida. ſanguinis pars, vnde per venaeſectionem ſaepe in talibus morbis tollitur illud, quod tranſitui per vaſa ſolum adhuc aptum erat: dum narium haemorrhagia ex ipſis arteriis ſanguinem profundit, atque directa quam maxime via impetum et copiam ſanguinis ab encephalo auertit, cuius functiones in his morbis adeo turbari ſolent. Arteriotome ergo, vel ſcarificationes cum cucurbitulis impoſitis potius proficuae videntur.

Magnum eſt inter hypochondria et nares commercium. Optima eſt haemorrhagia quae die decretorio fit; quae quarto, ſeptimo, vndecimo, decimo quarto, decimo ſeptimo, vigeſimo accidit; legitimis nempe criticis diebus: minus vero bona illa, quae in die quodam critico coincidente contingit, tertio, quinto, ſexto, vel nono: ſuſpecta vero habenda erit, quae aliis diebus obſeruatur.

Malum ſignum dat rubra facies, ſudoris guttulis obſita, in febre ardente; deſignat enim inflammatoria ſpiſſitudine immeabilem ſanguinem vaſa aliena ingreſſum eſſe, vel circa arteriarum ſanguinearum vltimas anguſtias haerere, et pauculum liquidiſſimae partis adhuc exprimi, ſimulque iam inſtante morte reſolui ſic exhalantia in cute vaſcula, vt craſſum et viſcidum ſudorem transmittant.

Parotis non ſuppurans exitialis. Vbi parotides in febre ardenti fiunt, ſignum eſt, materiam febrilem critice verſus illas glandulas deponi; cumque ſanguis in hoc morbo liquidiori parte orbatus ſit, et ſimul maiorem acrimoniam acquiſiuerit, benigna reſolutio parotidum expectari nequit; cum ad

ad illam humores blandi, motus ſedatus, et cauſa obſtruens non nimis ſolidata requirantur: adeoque ſola ſuppuratio hic locum habet, quae ergo niſi fiat, peiores inflammationis exitus tantum expectandi ſunt. Vel et quandoque parotides iam tumentes ſubito euaneſcunt, redeunte iterum materia morboſa in ſanguinem; vnde recidiuae peſſimae, et in febre ardente ſaepe mors ſequitur. Si enim alia via exeat morbi materies, ſpes eſt. Optime monuit *Hippocrates*, conſiderandum eſſe, an febris intendatur, vel remittat: ſi enim euaneſcente porotide febris ſubito augeatur, nouimus materiam febrilem de nouo ſanguini miſtam illas turbas facere, adeoque malum morbi exitum metuendum eſſe. Vbi vero hoc non fit, breui per alias vias exituram, vel ad alia loca deponendam eſſe, ſperare licet. Non ſemper tamen, licet parotides in febribus ardentibus ortae ſuppurentur, certam ſalutem promittunt; minus enim tutae ſemper ſunt illae criſes, quae per abſceſſum fiunt.

In ardentis febris cura vſum habent clyſmata, non tantum quia diluunt, laxant, refrigerant, verum etiam quia omne putridum in inteſtinis haerens eluunt.

Febris ardens a ſynocho putri differt, quod non vno et continuo decurſu abſoluatur, ſed remiſſiones atque exacerbationes notabiles habeat. Ab intermittentibus vero febribus diſtinguitur, quod non deſinat ad perfectam integritatem febrilis impetus; a continuis remittentibus leuioribus, aeſtu ſummo, imprimis circa vitalia, et remiſſiori calore verſus extrema, ſiti inexplebili, ariditate totius corporis, imprimis differt; eodem tamen cum illis genere continetur, et tantum ſymptomatum malignorum numero et vehementia illas ſuperat.

Poteſt inflammatio per vniuerſum corpus fieri, licet per arterias ſanguiferas, ſi non omnes, ſaltem plurimas ſanguis adhuc tranſeat. Talem autem adeſſe in febre ardente inflammationem, docet rubor faciei et ſaepe reliquae cutis corporis, quandoque et poſt mortem manens. Cadauerum hoc morbo defunctorum inſpectio demonſtrauit, cerebri corticem, in quo naturaliter nihil rubri inuenitur, totum rubuiſſe, ac ſi arte anatomica repletus fuiſſet. Simul etiam hinc apparet, quare tantus calor adeſſe poſſit, licet ingens adeo vaſorum numerus imperuius fuerit; per arterias

enim

enim maximas ſanguis ruber, ob fluidiſſimae partis iacturam denſior, magna velocitate mouetur, et ab his cauſis ſummus calor naſcitur.

FEBRIS INTERMITTENS.

Falluntur illi, qui dum vident, paroxyſmum febris intermittentis ſudore orto ſolui, putant omni molimine hunc ſudorem promouendum eſſe, ſperantes, ſic omnem materiam febrilem euacuari poſſe. Quotidiana enim obſeruatio docet, omnium difficillime a febribus intermittentibus liberari illos, qui copioſiſſimis ſudoribus diffluunt, neque ſanari niſi ſudores illi prius cohibeantur. Vnde etiam ſudor ille, qui in fine paroxyſmi adeſt, iuſculis carnium, ptiſana vinoſa et ſimilibus, quae liquidi copiam ſubminiſtrant, blande promoueri debet; minime autem vi remediorum, aut ſtragulis exprimi: ne per ſudores elabantur illa, quae retineri debebant. Debilitas autem et languor, qui nimios illos ſudores ſequuntur, ſatis euincunt, illos damnoſos fuiſſe.

Obſer-

Obſeruatum eſt, quod poſt quartanas febres, nullis validis remediis turbatas, ſed bona diaeta et verno tepore ſenſim ſolutas, firmiora fuerint inuenta hominum corpora, et morbis longe minus quam ante obnoxia. Nam quartana diuturna ſaepe totum corpus emaciatur, dum omne pingue ſoluitur et per vrinam aliasue vias educitur de corpore, aeque ac per argentum viuum vel per decocta ſudorifera fit; vnde mutatio fere radicalis humorum per reſolutionem et expulſionem ſuccedentem obtinetur; ſicque optime diſponitur corpus ad expulſum veteraſcentis, et inſtaurationem nouae vitalis materiae, adeoque corpus prudenti talium febrium regimine ad longaeuitatem ducitur.

Si iam conſideretur, quod in frigore febrium intermittentium totum corpus tremat et concutiatur valide ſaepe per horas, aeque fere in internis quam externis partibus, et contractae arteriae extremae contentos humores in latiores truncos retroagant, vti docet pallor, ſicque obſtructionibus circa fines arteriarum haerentibus reſoluendis optima naſcatur opportunitas; non mirum videbitur, poſſe ſolui et expediri

diri ſaepe talia, quae nullis aliis remediis obediunt; praecipue cum paulo poſt ſequatur rapidus adeo per omnia vaſa motus, qui illa, quae viſceribus infarcta haeſerant, per concuſſus illos iam mobilia reddita vlterius expediat: hinc apparet, quare febres illae toties ab inueteratis etiam malis corpus liberent, quae fruſtra aliis remediis tentata fuerant. Pertinaces tales febres (quartanas) quae anni ſpatium excederent, nunquam me obſeruaſſe memini, niſi in cacochymicis corporibus, quibus viſcera, imprimis abdominalia obſtructa erant, vnde fere ſemper abdominis tumor, color ictericus etc. ſimul aderant.

Omnium optima methodus curandi febres intermittentes illa videtur, quae conſpirat cum febre, vt ſoluat concreta, reſeret obſtructa, ſicque aequabilem humorum per vaſa omnia motum reſtituat. Verno tempore et in iuuenili aetate a calidioribus abſtinendum; autumnales contra febres, imprimis in hyemem usque protractae calidiora poſtulant.

Purgantia et vomitoria non tantum proſunt, quatenus euacuant, verum etiam quod miro ſaepe ſtimulo moueant et tur-

betur

bent totum corpus, ſicque mutent illam conditionem, quae nunc adeſt.

Imprimis ſemper obſeruauit *Sydenhamus*, febrim poſt nimium euacuantium vſum altiores radices egiſſe. Vbi dolor fixus, continuus, ſenſus ardoris interni, aliaque inflammationis internae ſigna adſunt, cortice peruuiano abſtinendum eſt.

Vernae febres intermittentes adeo benignae ſunt indolis, vt nullam medelam requirant, ſed ſponte ſua cedere ſoleant plerumque. In illis tantum hominibus quibus debilior ſanguinis craſis facillime ſic ſoluitur, vt profuſo et multum debilitante ſudore diffluant, pertinaces quandoque inueniuntur, roborantibus, et imprimis cortice peruuiano, tunc curabiles. Autumnales longe difficiliores ſunt, et magnam ſaepe medici attentionem et multa artis molimina requirunt, vt curari poſſint.

PHRENITIS.

Tota diuerſitas inter phrenitidem veram et ſymptomaticam tantum in eo conſiſtit, quod in ſymptomatica illud, quod cere-

cerebrum turbat, prius in alia parte haeſerit, poſtea ad cerebrum delatum.

Nihil màgis periculoſum, quam ſi ſolis radiis expoſito capite quis dormiat.

Lingua nigra deſignat vel defectum tenuis lymphae ſanguinis, vel maiora vaſa, immeabili ſanguine diſtenta, vaſa minora comprimere, vnde fiſtulae arterioſae exhalantes, in linguae ſuperficie poſitae, exareſcunt et gangraenoſae fiunt: hinc ex lingua nigra, imprimis ſi ſicca ſimul fuerit, peſſima humorum conditio praeſagitur.

Vix obſeruatur inſignis quaedam humorum degeneratio, quin ſimul functionum encephali turbatio appareat.

Peſſimi eſt ominis, dum antea furibundi ſubito quieſcunt et ſomnolenti fiunt phrenitici.

Venae crurum in phreniticis varicoſae, bonum eſt ſignum, vt etiam alui fluor; non tantum quoniam morboſam materiam euacuat, ſed etiam, dum humoribus huc ruentibus viſcerum abdominalium vaſa deplentur, et ſanguini impulſo minus reſiſtunt, impetus et copia humorum pulcherrime a capite auertitur.

ANGINA

ANGINA INFLAMMATORIA; SVPPVRATORIA GANGRAENOSA.

Angina quae ſine vllo ſigno tumoris externi vel interni apparet, raro eſt curabilis, cum omnis ſpes in eo poſita ſit, vt reſtituantur ſubito perditi humores, ſicque bono ſucco vitali repleantur vaſa vacua. Verum ipſa deglutitio laeſa impedit, quo minus talia commode ingeri poſſint; et ſimul deficiunt illa, a quibus ingeſtorum aſſimilatio expectatur, debita nempe copia humoris boni, et vaſorum in contenta fluida actio requiſita. Venaeſectiones et purgantia antiphlogiſtica in hoc caſu mortem quam certiſſime accelerarent.

A forti equitatione aduerſo vento et frigido ſaepe oritur angina inflammatoria; nam dum fortiter quis equitat aduerſo vento, omni momento frigidus aer fauces ingreditur, ſimulque vaſa harum partium ab aere reſiſtente et contraria directione moto, valide comprimuntur. Angina ab inflammata pulmonali fiſtula nata eo periculoſior eſt, quo propius glottidi et epiglottidi haereat malum,

lum, quanto magis ergo ſi circa ipſam glottidis rimam?

Saepe accidit inflammatio muſculorum ſtyloceratohyoideorum, vnde acutiſſimus dolor, et deglutitionis difficultas, cum autem illi muſculi profundius recondantur, inſpectis faucibus nullus ſaepe tumor apparet, ſi nempe in his ſolis malum haeſerit. Diſtinguitur autem haec anginae ſpecies a caeteris facile, quod reſpiratio ſatis libera hic maneat, neque acuta adeo aut clangoſa vox ſit; nec caret periculo, non tantum ob deglutitionem impoſſibilem, verum etiam quia periculoſa metaſtaſi ſaepe in pulmonem vertitur morbus.

Dum in angina inflammatoria reſpiratio impeditur, pulmo explicari ſatis nequit; vnde cor dextrum non poterit contentum ſuo cauo ſanguinem expedite propellere per arteriae pulmonalis anguſtias in cor ſiniſtrum; adeoque incipiet accumulari ſanguis in pulmone et cordis dextri cauo. Non poterit ergo auricula dextra et ſinus venoſus dexter euacuari, adeoque et in his cauis fiet ſanguinis aggeſtio. Quare ſanguis venoſus a toto corpore redux per venam cauam ſuperiorem et inferiorem non pot-

erit ingredi haec caua iam repleta; diſtendentur ergo et venae. Sed omnis ſanguis venoſus a labiis, lingua, facie redux per iugularem imprimis externam redit ad cor, dum ſanguis a capitis interioribus partibus per iugularem venam internam mouetur. Vbi ergo impedita reſpiratione ſanguis per venas iugulares libere tranſire nequit, omnia vaſa ſanguinea, externarum aeque ac internarum capitis partium, diſtendentur magis magisque; cum arteriae pergant ſanguinem adferre, dum interim venae illum reducere nequeunt. Tumebunt hinc fauces, labia, lingua etc. oculi rubebunt ſanguine ſuffuſi, et horrendum in modum protuberabunt; lingua tumens ore amplius contineri non poterit: hinc foedo ſpectaculo liuida et intorta prominebit, ſpuma ſimul ex ore prodeunte. Cum autem ob eandem cauſam vaſa ſanguinea per encephalon diſtributa ſanguine turgeant, comprimetur mollis encephali pulpa; vnde viſus, auditus, tactus hebetes fiunt, omnesque cerebri functiones turbantur, tandemque delentur integre. Stertor autem adeſt, dum viſcida ſpuma totum os, fauces et pulmo repleri incipiunt, et diſtentis vaſis ſanguineis pulmonis aërea eius caua anguſtantur.

Vnde

Vnde miſeri aegri omnia eadem patiuntur ac illi, qui laqueo ſuffocantur; in hoc tamen longe infeliciores, quod lente et per gradus aucta haec mala pati debeant.

Omnium optima curatio inflammationis eſt, quae reſoluendo obtinetur. Imprimis autem haec curatio requiritur in angina inflammatoria, cum tantum periculum immineat a ſuppuratione, ob tumorem auctum comprimentem deglutitionis et reſpirationis organa, atque etiam, quia iure metuitur, ne rupto abſceſſu pus in tracheam delapſum ſubitam ſuffocationem inducat.

Peſſimum ſignum dat ſerum tenue in angina inflammatoria continuo ex ore depluens, a compreſſis maioribus venis, quae hic locantur et reducem a capite ſanguinem ad cor deferunt, natum.

Tutiſſimum eſt raninas venas non aperire, niſi larga prius ſanguinis miſſione in brachio vel in pede inſtituta.

Forte non ſine ratione liceret aſſerere, nullum fere morbum acutum inflammatorium magis volubilem eſſe. Familiare eſt in praxi videre, quod vnius lateris tonſillam occupans inflammatio minuatur ſubito,

et alterius lateris tonſillam afficiat; neque hoc tantum, ſed et ad alia, et ſaepe etiam ſatis diſſita corporis loca tendit; in ſplenem dolorem proceſſiſſe, leuatis faucibus legitur. Omnium maxime requiritur, vt continuo ore retineant aegri angina ſuppuratoria laborantes tepidum gargariſma ex ſeminibus lini, althaea, malua etc. emollientibus ſimilibus remediis paratum; ita enim continuo fouentur partes inflammatae, nimia illarum exſiccatio praecauetur et crudum inflammatorium maturatur feliciſſime.

In angina ſuppuratoria quandoque cogimur repetitam etiam venaeſectionem inſtituere, licet ſigna doceant abſceſſum iam formari: ratio eſt, quia tumor affectarum partium auctus illo tempore, dum maturatio fit, ſaepe comprimendo partes vicinas, nouam inflammationem hic adeo periculoſam excitat: vnde tunc cogimur magis exhaurire corpus, vt omnia vaſa inanita collabantur magis, ſicque impediatur metuenda ſaepe in hoc morbo ſuffocatio.

Nouimus praeſentem iam anginam gangraenoſam, ſi vehementiſſima ſymptomata ſubito ſine bonis ſignis ceſſent, dolor abſit, deglu-

deglutitioni vel reſpirationi antea difficillimis maior redeat libertas, neque tamen vlla ſigna doceant per metaſtaſin morbi materiam ad alia loca tranſiiſſe. Diagnoſin hanc confirmant, facies cadaueroſa, extremarum corporis partium frigus et liuor, pulſus debilis et inaequalis, quae lethalem in his locis gangraenam comitari ſolent.

Gangraena faucium, quae validam inflammationem ſequitur, vix medelam capit, illa vero, quae absque praegreſſa inflammatione a depoſitione maligni humoris ad has partes oritur, periculoſa quidem eſt, ſaepe tamen curabilis.

PERIPNEVMONIA VERA. PERIPNEVMONIA NOTHA.

In peripneumonia adeſt pulmonis inflammatio; obtinet illa vero in vaſis conicis tantum, vbi fluit ex lato in anguſta liquor; adeoque non omnia pulmonis vaſa inflammationi ſuſcipiendae apta ſunt, ſed arterioſa tantum. Omnis enim inflammatio ſupponit obſtructionem; ſed obſtructio in venis locum habere non poteſt, quia directio

liquidi per venas moti verſus latiorem locum propelleret illud, quod obſtaculum facere poſſet.

Si aer nimium humidus fuerit, vaſorum fibrae in pulmone debilitabuntur, minus reſiſtent fluidis impulſis, adeoque periculum erit, ne laxata vaſa admittant craſſiores fluidi moleculas, quae per illarum fines tranſire non poterunt, praecipue ſi vna cum humiditate calor aeris adfuerit, adeoque naſcentur inflammationis cauſae: E contra vero ſi aer nimia ſiccitate peccet, aſperae arteriae et bronchiorum internam ſuperficiem naturali humiditate priuabit, hinc minus flexiles hae partes difficilius ab aere inſpirato expandi poterunt. Praeterea vltima exhalantium vaſorum oſcula, quae in aeream pulmonis ſuperficiem patent, exſiccabuntur, adeoque reſiſtent liquidis impulſis, vnde obſtructio et inflammatio ſequi poterunt; praecipue cum per aerem ſiccum et calidum liquidiſſima diſſlentur de corpore toto, adeoque ſanguinis maior inſpiſſatio ab eadem cauſa oriatur. Calor autem aeris nimius ſimilia fere efficit, ac eiusdem ſiccitas; ſi vero calori aeris accedat ſimul humiditas, tunc nimis laxando pulmonis vaſa nocere poterit: in-

tenſum

tenſum aeris frigus omnium maxime huic morbo producendo fauet. Frigore enim et gelu adunantur ſanguinis moleculae.

Videmus omnes homines dum luctantur, vel valido nixu pondera eleuare, aut obſtacula quaedam remouere conantur, aerem magna copia inſpiratum retinere quam diutiſſime, antequam exſpirent, atque ſimiles conatus repetere continuo. Aer autem calido pulmone retentus rareſcit, et tanto magis pulmonalia vaſa premit, quanto magis a calore expanditur; hinc patet anguſtari debere pulmonis vaſa; interim agentibus muſculis acceleratur ſanguinis venoſi motus verſus cor, illudque irritatur in validiores et frequentiores contractiones; cum autem ab aere rarefacto anguſtata fuerint pulmonis vaſa, difficilius ſanguis tranſibit per pulmones, et tantum eius fluidiſſima pars per arctiores iam vaſorum fines tranſire poterit, craſſiſſima accumulabitur, atque obſtructiones et inflammationes pariet.

A cantu, clamore peripneumonia. Vox enim formatus expulſu aeris, tota capacitate pulmonis contenti, per cauſas arctantes thoracem, ita tamen, vt aer ſic per

aſperam arteriam expulſus incurrat in ventriculos laryngis, cartilagines arytenoideas, rimam glottidis. Nimis enim dilatata glottidis rima aer liberrime exit, ſed nullum ſonum facit, vti patet in illis, qui grauiorem ſonum edere conantur quam poſſunt. Demonſtrauerunt autem muſici, vocis diuerſitatem quoad acutiem et grauitatem pendere a varia apertura rimae glottidis et aucta vel imminuta celeritate aeris expulſi. Vbi ergo acutiſſimos tonos cantando aſſequi conantur homines, cauſae thoracem arctantes valida vi exprimunt aerem pulmone contentum per anguſtatam admodum rimam glottidis, vnde aer preſſus valide reagit in pulmonis cauum, quo continetur, hincque impeditur liber ſanguinis per pulmonem tranſitus. Idem in valido clamore verum eſt, qui ſemper eo acutiorem tonum format, quo fortior eſt.

Phaenomena autem, quae apparent in cantantibus, vel fortiter clamantibus hominibus, euidenter huius rei veritatem probant. Semper enim tunc turgida rubet facies, oculi ſuffunduntur ſanguine, venae frontales et iugulares tument etc. quae omnia docent, circa cor dextrum accumulari

lari ſanguinem venoſum, quia libere per pulmones tranſire nequit.

Plures in peripneumonia cauſae concurrunt, quae faciunt, vt aer inſpiratus plurimum caleſcere debeat. Pulmo enim infarcitur rubra craſſiſſima ſanguinis parte, quam calori ſuſcipiendo et conceptum diu retinendo aptiſſimam eſſe novimus; per vaſa pulmonis nondum imperuia, ſed a vicinis obſtructis et tumentibus anguſtata, celerrime traiiciuntur humores, vnde maior calor naſci debet. Accedit quod immeabili ſanguine turgens pulmo ſatis explicari nequeat, adeoque minor copia aeris ſingulis inſpirationibus hauriri poſſit. Ex quibus omnibus ſimul intelligitur ratio, quare calidiſſimus percipiatur aer exſpiratus in peripneumonicis.

Sputum flauum cum ſanguine mixtum optimum eſt ſignum. Craſſities ſputi et color flauus inceptam iam coctionem morboſae materiae indicant.

Vt ſolutio peripneumoniae per vrinam fiat, requiritur vt ſatis copioſa ſit; aliter enim non ſufficeret haec euacuatio: verum etiam ante ſeptimum diem prodire debet, cum ſi diutius absque ſalutari quadam ex-

cretione durauerit hic morbus, nulla ſpes ſit, illum absque alio morbo ſequente curari poſſe. Sedimentum primo rubrum, dein ſenſim albeſcens, laudatur, quia nempe perfectam coctionem et ſubactionem materiae morboſae indicat.

Peripneumoniae in ſanitatem exitus ſperari nequit, niſi leuis tantum ille morbus fuerit, id eſt, inflammatio tantum in arteria bronchiali haeſerit, vel in parua tantum parte arteriae pulmonalis.

Sputum flauum ſincerum tanquam periculoſum damnauit *diuinus ſenex*, quia nempe non omnia vaſa liberarentur, quae infarcta erant, aliter enim et ſanguinei quid in hoc ſputo appareret; ſimul etiam album viſcidum et rotundum ſputum inutile dixit, quia nihil materiae morboſae continet, ſed tantum muco bronchia lubricante inſpiſſato, et in pulmonis cellulis compacto in rotundam figuram, conſtat.

Dyſpnoea peripneumoniam comitatur, quia tumor liberam pulmonis explicationem in reſpiratione impediens, manet, imo ſaepe et augetur ſuppurationis tempore; atque ob eandem cauſam impedito libero reditu ſanguinis venoſi a capite genae et

labia

labia rubent. Sitis autem adeſt, dum continua febricula diſſipat liquidiſſima et corpus exſiccat. Febricula perpetuus omnis ſuppurationis, ſiue in toto ſiue in parte, comes eſt. Veſperi plerumque augetur, dum crudus ex ingeſtis chylus cum ſanguine mouetur, et ob debilitatam in hoc morbo pulmonis actionem non tam cito ſubigitur, ſed diu propriam retinet indolem, antequam omnes dotes noſtrorum humorum acquirere poſſit; adeoque obſtaculo, vel ſtimulo vel vtrisque ſimul febrim auget. Accedit praeterea, quod etiam in ſanis hominibus veſpertino tempore augeatur pulſuum velocitas; atque ideo omnes morbi, quos aucta reſolutionis velocitas comitatur, circa noctem ingraueſcunt. Cum autem per morbum diuturniorem atterantur vires, ſimulque impedimentum in pulmone maneat, patet ſatis ratio, quare pulſus debilis ſit et mollis.

Sudor nocturnus fere ſemper pulmonis abſceſſum comitatur, vti etiam adeſt illis, quibus ſputo purulento conſumitur pulmo. Demonſtratur enim in Phyſiologicis, pulmonis actionem in ſanguinem inter alios vſus et hoc efficere, vt exactiſſima fiat miſcela

ſcela omnium humorum, et debita denſitas ſanguini concilietur, crudusque chylus elaboretur in illam perfectionem, quam humores noſtri ſani habent. Chylus autem ſemper leuior eſt ſanguine eiusque ſero, adeoque pulmonis et arteriarum actio compingit chylum et maiorem ipſi ſoliditatem, id eſt, plus maſſae corporeae ſub eodem volumine conciliat. Vbi ergo per abſceſſum hic natum debilitatur pulmonum actio, minus firma reddetur ſanguinis compages, et minus accurata omnium ſanguinis partium erit miſcela inter ſe; lecti ergo tepore dum fouetur tota cutis externae ſuperficies, tenuiſſima ſanguinis pars per febriculam continuam, aucto humorum motu, forma ſudoris exprimetur. Probatum enim fuit, quod dum obtinet talis in fluidis noſtris cacochymia, per quam partes minus aſſimilatae nec aequaliter mixtae ſunt, tunc naſcatur facillima in ſudorem procliuitas. Omnia autem haec mala adhuc inde augentur, quod a pure in abſceſſu pulmonis retento, attenuato, a venis reſorpro illa cacochymia increſcat plurimum, atque in putridam diſſolutionem magis vergat continuo ſanguis. Praecipue autem circa iugulum et frontem ſudor

dor ille apparet, quia abſceſſus pulmonis liberum ſanguinis per arteriam pulmonalem tranſitum impediens ſimul etiam prohibet ſanguinis venoſi a partibus ſuperioribus reditum, vnde omnia vaſa magis in his locis vrgentur, adeoque caeteris paribus, ſudor his magis conſpicuus erit, ſaepe in guttas collectus, dum debiliores iam aegri ſunt, et malo ſemper omine.

Licet pus in vomica pulmonis collectum venis reſorberi et per metaſtaſin ad alia corporis loca deponi poſſet, hoc facto tamen maneret vlceroſa in pulmone diatheſis, qua nouum pus breui colligeretur in eodem loco, adeoque non magna vtilitas a tali metaſtaſi exſpectanda foret. Vbi fero, nondum facto abſceſſu, materies imflammatoria ſubacta iam et mobilis in venas tranſit, et ſanguini miſcetur, atque poſtea ad alia loca corporis deponitur, poterit liberari pulmo, et liberatus integritate illa gaudere, quam in ſanitate habuerat.

Dum per aortae deſcendentis ramos cum ſanguine mouetur morboſa materia, magna eius pars per coeliacam et meſentericam vtramque feretur per viſcera chylopoietica atque inde in venam portarum delata per hepa-

hepatis anguſtias tranſire debebit, vbi caeteris paribus difficilior ſemper humorum tranſitus eſt, dum ſanguis venoſus, absque cordis impellentis auxilio, per conuergentium canalium anguſtias transprimi debet. Non mirum ergo apparebit, ſi inde fiant obſtacula circa haec loca atque leuioris inflammationis ſigna.

Leuioris autem inflammationis ſigna tantum eſſe debent, et cito iterum euaneſcere; ſi enim manerent, potius metuendum foret, in hepate accumulari materiam morboſam, hocque maiori cum diſcrimine.

Differt vomica a ſcirrho pulmonis, quod vomica quotidie mole augetur, donec crepet; ſcirrhoſa vero pulmonis durities diu in eodem ſtatu manet, adeoque ſatis euidens eius mali diagnoſis haberi poterit.

Demonſtratur, aerem inſpiratum inſeruire, vt refrigerium fiat ſanguini, ob rapidum motum per pulmonalem arteriam, calidiſſimo, animalque ſanum hoc aeris refrigerio deſtitutum paucis minutis mori, et horrenda putredine ſubito nata intolerabilem ſpirare mephitin; verum validam inflammationem ingens aeſtus comitatur,

et

et turgentibus vaſis inflammatis minuitur ſpatium aeri inſpirando, adeoque longe minus refrigerium exſpectari poterit.

Patet ergo, concurrere in vehementiſſima pulmonis inflammatione omnes cauſas, quae ſubitam partis affectae mortem et citam putredinem efficere valent.

Robuſtiſſimus homo, acutiſſima peripneumonia correptus, ſtatim tam debilis fit, vt nequidem manum attollere poſſit. In vehementiſſima peripneumonia omnis fere ſanguis inter cor dextrum et fines pulmonalium arteriarum colligitur, atque ſimul impeditur liber reditus ſanguinis venoſi ab encephalo, vnde cerebrum comprimitur: ſimulque cor ſiniſtrum, nullum fere ſanguinem accipiens, per carotides et vertebrales debitam copiam verſus encephalon pellere nequit, adeoque concurrunt efficaciſſimae debilitatis cauſae.

Reuulſio in cura inflammationis adeo requiſita, hic eſt impoſſibilis. Omnis enim totius corporis ſanguis ſemel debet tranſire per pulmones illo tempore, dum per reliquas partes corporis omnes mouetur, vnde nulla arte impediri vel minui multum poteſt ſanguinis per pulmonem motus, ſuper-

ſtite

ſtite vita. In corde enim et pulmone eſt communis illa ſcaturigo, ad quam omnia liquida totius corporis confluunt, et ex qua omnia per vniuerſas et ſingulas corporis partes diſtribuuntur.

Cum totus pulmo inflammatur, cor dextrum replebitur, vti et auricula dextra, ob impeditum ſanguinis per pulmonem inflammatum tranſitum, adeoque nec poterunt ſe euacuare venae coronariae, vnde et cordis in propria ſubſtantia inflammatio ſequetur. Cum autem cor a quatuor magnis vaſis ſanguiferis pendulum in pericardio haeret, horizontali fere ſitu poſitum ſic vt ventriculus dexter cordis vna cum dextra auricula anteriorem corporis partem ſpectet, patet ratio, quare corde dextro et auricula diſtentiſſimis, ſiniſtro vero corde et auricula fere vacuis, cor verſus anteriora procidat et latus tangat.

Sputum album rotundum nihil aliud eſt, quam mucus pulmonis in tracheis collectus mora et calore ſic inſpiſſatus, vt rotundam figuram, quam in pulmonis cauis acquiſiuerat, retineat, poſtquam eductus fuit. Vnde patet, per tale ſputum nihil educi de morbi materia, quae pulmonem grauat,

adeo-

adeoque et hoc reſpectu inter mala ſputa numerari.

Myrrha, olibanum, ſarcocolla, opoponax etc. cum terebinthina, balſamo peruuiano etc. parata catapotia optime detergunt vlceroſa loca, et deterſa ad conſolidationem diſponunt. Natiua haec balſama jure praeferuntur artificialibus, imprimis illis, quae ex oleo lini, oleo terebinthinae, ſulphure etc. parantur, in quibus omnibus empyreumaticus nidor, et inflammans acrimonia adeſt.

Summum emolumentum exhibet ad detergendum pulmonem et firmandum ſimul totius corporis robur, equitatio, ſi vires aegri ſufficiant; vel in debilioribus vectio in rheda aut naui. Omni enim momento ſic nouus aër pulmonem ingrediens auerrit vlceroſum locum, ſimulque corporis concuſſibus, imprimis ſi equo vehatur aeger, expediuntur illa, quae pulmonem grauant, absque tuſſi, vel leuiore tantum.

In phthiſicis quibus quotidie per ſputa pus in pulmone collectum euacuatur, veſpertino tempore, dum hectica illorum febris multum augeri ſolet, ſputa ſupprimi cum anxietatis augmento, ſaepe obſeruatum

tum eſt; matutino demum tempore, minuta febre, ſputa iterum excerni cum ſummo leuamine.

In validis animi affectibus ſemper in reſpiratione obſeruatur facta mutatio, vnde pulmonem directe quaſi afficiunt. Sic ira ſumma motus homo validiſſime reſpirat ilico, et anhelat; metu ſubito perculſus ſtatim ingentem circa pectus oppreſſionem ſentit, moleſtiſſima ducit ſuſpiria.

In peripneumonia notha frigidus mucoſus lentor adeſt, qui ſe aqua calida dilui facile patitur, quod in ſpiſſitudine inflammatoria non obtinet, ſimulque longe leuior febrilis inſultus in hac peripneumoniae ſpecie adeſt. Morbus hic, ſi ullus alius, fallaci lenitatis ſpecie decipit minus peritos: non enim hic calor intenſus, magna febris, aliaque vehementia ſymptomata, quae veram peripneumoniam comitari ſolent, adſunt. Inter illa vero ſigna quae docent, lentam pituitam vna cum ſanguine moueri per vaſa, eundemque minus meabilem reddere, eſt leuis fatigatio et maior debilitas, ſimulque hebetudo inſolita, dum nullis fere animi motibus amplius afficiuntur tales aegri, ſenſus externi et interni torpent.

Vbi

Vbi autem lenta illa pituita in pulmonis vaſis haerere incipit, iam impeditur liber ſanguinis ex corde dextro in ſiniſtrum tranſitus; vnde maiore reſpirationis molimine aegri viam expedire conantur; hinc anhelant, deque moleſta anxietate et pectoris oppreſſione conqueruntur. Interim tamen nulla vel leuiſſima ſaltem adſunt febris indicia. Vagae tunc ſequuntur horripilationes et leuiuſculi febris inſultus, ita vt nunc incaleſcant aegri, nunc frigeant iterum. Senſim autem magis magisque infarcitur pulmo, ſic *vt pulmonum coarctatio adſtantium auribus percipiatur;* Anhelitus creſcit et debilitas, tandemque *intercepta circulatione ſanguineque quaſi praefocato* mors venit, licet, *nulla fere, praeſertim in habitioribus febris indicia ſint.* Febris autem abſentiam, vel cauſam quare vix percipiatur, partim ab intercepta circulatione ob infarctum pulmonem deduxit *Sydenhamus*, partim etiam, quod ſanguis, materiae pituitoſae copia grauatus, in plenam ebullitionem aſſurgere nequeat. Vnde patet ratio, quare in pulſu et vrina vix ullum ſignum appareat, a quo lethale praeſagium haberi poſſet.

Quamvis vrinae rubor pro caloris interni ſigno habeatur, tamen in hoc morbo adeſſe illum poſſe facile patebit, ſi conſideretur, craſſiores et obeſulos hoc morbo imprimis corripi; dum autem in his iners pingue motu, calore aëris etc. ſoluitur et ſanguini ſubito miſcetur, peſſima humorum immeabilitas naſcitur, et huius pinguis pars ſalibus urinae miſta ruborem facit, quem ab oleo imprimis pendere ſat notum eſt.

Dum tuſſiunt hi aegri, moleſtum capitis dolorem percipiunt, ac ſi diſſiliret; neque mirum hoc videbitur, ſi conſideretur, impedito ſanguinis per pulmonem tranſitu ſimul etiam minui facilem venoſi ſanguinis a capite reditum, adeoque omnia encephali vaſa turgere: hinc etiam patet, quare et ſaepe vertiginem patiuntur tales aegri.

Simulac anhelitus et pectoris oppreſſio percepta ab aegris docuerint, pulmonem infarciri, venaeſectio eſt inſtituenda. Ita enim minuetur moles liquidi mouendi per pulmones, vna cum educto ſanguine tolletur pars illius pituitoſi, quod cum ſanguine per venas fluit, minuetur motus febrilis, ſi adſit, a quo metuenda eſt maior impactio

impactio lentae pituitae in anguſtias arteriae pulmonalis ſimulque depletis vaſis ſpatium fiet commodum diluentibus et attenuantibus remediis. Ex largo autem vulnere ſanguis emittitur, ne pituita grauatus ſanguis, hincque lenteſcens, paruum vulnus obſtruat.

Poſt venaeſectionem ilico iniiciatur clyſma ex melle, nitro, ovi vitello et decocto hordei, et repetatur quotidie donec reſpiratio facilior et pulſus auctum robur docuerint leuari pulmonem.

Balnea pedum et crurum adhibentur, vt laxatis his partibus tumeat panniculus adipoſus, et in illo copia illius lenti pituitoſi colligatur, ſicque a pulmone auertatur, quantum fieri poſſit. Proſunt etiam larga veſicatoria imprimis cruribus et femoribus applicata.

PLEVRITIS.

Pleuritis dicitur adeſſe, quando aeger laborat acuta continua febre, cum pulſu duro, dolore acuto, punctorio, inflammatorio, in inſpiratu valide aucto, in exſpiratu

ratu vel animae retentione leniori, mitiori pariter; tuſſis fere perpetua, dolorem magnum inferente. Requiritur febris acuta continua comes, vt pleuritis vocetur; in hyſtericis et hypochondriacis laterum dolores obſeruantur, et quidem acutiſſimi ſaepe, ſed ſine febre.

Bina haec in omni pleuritide adſunt, febris acuta continua et dolor. Dolor pleuriticus eſt acutus et punctorius, a diſtentis vaſculis inflammatis. Pulſus durus in omnibus fere morbis acutis inflammatoriis obſeruatur, ob cruorem denſum et compactum, difficilius per fines capillares arteriarum tranſeuntem. Fallere tamen quandoque poſſet hoc ſignum, dum prae doloris acerbitate inſpirare nequeunt aegri, et ſe ipſos fere ſuffocant, tunc enim peripneumonia ex pleuritide fieri incipit, pulſusque mollis et exilis apparet. Cum autem, dilatato per inſpirationem thorace, diſtrahantur partes inflammatae, neceſſario augebitur dolor, qui ob eandem cauſam lenior erit inter exſpirandum vel dum aegri animam retinent. Vnde etiam valida pleuritide correpti, vt acerbiſſimum dolorem euitent, vix inſpirant ſicque ſe ipſos ſuffocant.

cant. Hinc leuamen aegri tales ſaepe percipiunt, dum lata faſcia thorax ſic conſtringitur, vt pectoris inter inſpirandum dilatatio vel nulla ſit, vel exigua admodum; tunc enim inſpiratio, immoto thorace, perficitur imprimis abdominis ope. In inſpiratione enim non tantum dilatatur thorax coſtarum motu ſolo, verum etiam diaphragma deorſum tractum pectoris cauitatem auget, abdominis vero cauum anguſtat, vnde preſſa viſcera abdominalia muſculorum abdominalium reſiſtentiam ſuperant, ventremque attollunt. Vbi ergo per faſciam immotus retinetur thorax, poterit adhuc ſpatium fieri pulmoni per aerem inſpiratum dilatando, dum deorſum ducitur diaphragma; forte tunc et maiori vi, quam dum ſimul dilatatur pectus, atque hoc modo reſpiratio ad vitam neceſſaria poterit peragi. Pro vario autem ſitu partis inflammatae maius minusue fiet impedimentum reſpirationi.

Tuſſis fere perpetua pleuritidem comitari ſolet: cumque ſputa tanti momenti ſint in peripneumonia, et ipſa pleuritis per ſputa ſaepe ſoluatur, in ipſo morbi initio periti medici ſemper attendunt, an per

tuſſim excretio fiat et qualis? Ab omnibus damnatur pleuritis ſicca, tanquam periculoſa, et moleſtiſſima curatu et concoctu difficilis, quae vel celeriter hominem rapit, vel non niſi longo tempore ſoluitur. Sputa ſanguine tincta frequentiſſime in pleuritide adſunt, minusque nocent, quam ſi absque vllo omnino ſputo morbus ſit.

Peripneumonia acutiſſimam pleuritidem comitatur ſaepe, ſequitur fere ſemper. Clariſſimi viri, et de re medica optime meriti fuerunt in illa opinione, in vtroque hoc morbo eandem partem affici, *pulmonem* nempe.

Hoffmannus fuit in hac opinione, pleuritidem ſpuriam adeſſe, ſi inflammatio externas tantum partes occupet, ſi vero membranoſae pulmonalis ſubſtantiae ſuperfiem inſtar eryſipelatis prehendat pleuritidem eſſe veram, et vbi altius in ipſam pulmonum ſubſtantiam deſcendit, tunc peripneumoniam adeſſe. Certum quidem eſt, ſolam pleuram non eſſe ſemper pleuritidis ſedem, ſed et muſculos ipſi continuos; imo et in pinguedine et muſculis intercoſtalibus reperiatur frequenter. *Petrus Seruius* in trecentis pleuriticis Romae poſt mortem diſſe-

diſſectis, deprehendit ſemper vnum pulmonis lobum corruptum et materia putrida turgidum, intacta tamen aut leuiter ſaltem vitiata pleura. Verum ſi conſideretur, pleuritidem et peripneumoniam ſaepe ſimul concurrere, neque ex pleuritide ſemper perire aegros, quia membrana pleura aut loca intercoſtalia inflammata ſunt, ſed ſaepius ideo, quia ob dolorem immanem omnis motus thoracis ſupprimitur, vnde impedito ſanguinis per pulmones traiectu lethalis peripneumonia naſcitur: patebit ratio, quare in cadaueribus pleuritide defunctorum fere ſemper in pulmone vitium inueniatur, licet leuiter tantum affecta pleura videatur. Notandum enim, quod *Seruius* non negauerit, pleuram in hoc morbo affici, ſed *leuiter tantum*: cauſa ergo mortis in pulmone affecto inueniebatur quidem, prima tamen origo mali in pleura, vel ipſis incumbentibus muſculis et adipoſa tunica haeſiſſe potuit. Pleuram autem in hoc morbo affici confirmant obſeruata plurima.

Notauit *Trillerus*, ſe obſeruaſſe benigniorem eſſe pleuritidem, quae dextrum latus occupat, periculoſiorem vero et diuturniorem, quae ſiniſtrum.

Saepe tertio vel quarto die iam lethales pleuritides in ebrioſis hominibus vidi.

Eſt idiopathica vel ſymptomatica pleuritis; haec ſanguinis miſſionem et ſaepius quandoque repetitam poſcit, illa vero nullam vel ſcilicet parciorem.

Nunquam pleuritides magis ſaeuas et citius lethales vidi, quam a potu gelido affatim hauſto, aeſtuante corpore. Facile intelligitur ratio; ſanguis de ſaniſſimi hominis vena incisa in aquam frigidam exſtillans concreſcit ilico in ſtrias fere ſolidas: verum dum affatim gelidus potus ingurgitatur, oeſophagus in ſuo decurſu truncis intercoſtalium arteriarum quarundam ſatis propinquus, eo repletur, dein totus ventriculus potu frigido diſtentus adiacenti diaphragmati, hepati, lieni etc. ſubitum et inſolitum frigus communicat: Cauae aſcendentis truncus, ingens ſinus dexter cordis, tenui tendinoſae parti diaphragmatis incumbens, ſimiliter afficiuntur, ſanguis ibi collectus ad concretionem diſponitur, qui paulo poſt per pulmonis anguſtias tranſire debebit. Laeditur inſpiratio, debent enim in inſpiratione coſtae a ſe mutuo deduci, adeoque inflammatae illae partes diſtrahuntur

tur cum ſummo doloris augmento. Ob hanc cauſam miſeri aegri vix inſpirant, adeoque vix dilatant pulmonem, vnde cor dextrum ſe libere euacuare nequit: ſanguis ergo a capite per venas iugulares redux, non poterit locum inuenire in ſinu et auricula dextris iam plenis: hinc interiora encephali a turgidis vaſis comprimuntur, aegri tales torpidi et hebetes fiunt, et ſaepe ſubito ſuffocantur.

Pleuritici in morbi ſummo vigore non pereunt ob inflammationem pleurae vel partis coſtis accumbentium vel incumbentium, ſed ob reſpirationem impeditam repleto pulmone ſuffocantur. Vbi per tres quatuorue dies iam durauit pleuritis, antequam artis auxilia applicentur, raro vel nunquam benigna reſolutione curatur; tuncque ſolent per vim morbi alia mala in corpore naſci, imprimis autem in pulmone.

Optime monuit *Trillerus*, plerumque ſeruari pleuriticos, naturae beneficio, etiam neglecta ſanguinis miſſione; ſi intra primum et quintum diem ſanguis purpureus floriduſque affatim de naribus profluat.

Si copioſa fluat vrina ſubrubra, et plurimum talis ſedimenti habeat, laevis ſcilicet, cum levamine omnium malorum, certi ſumus, materiam morbi euacuari. Praecipue autem ſpem habemus morbi ſic finiendi, ſi in initio hoc contingat, antequam per morbi longitudinem plura in corpore a ſanitate receſſerint. Si enim ſerius fiat, rariſſime per urinas ſolas ſanatur pleuritis.

Vbi humerum, ſcapulas, dorſum dolor occupat cum leuamine doloris pleuritici manifeſto, laeta prognoſis eſt, et euadunt fere omnes; ſaltem non memini me vllum vidiſſe pleuriticum, qui periit hoc morbo, dum illa metaſtaſis ad has partes aderat. *Forte notari meretur, quod illi dolores ſaepius contingant ſexto die morbi:* non videtur illa metaſtaſis morbum tollere, ſed potius ſalutaris criſis eſſe nuncia.

Notauit *Lanciſius*, ſaepe ſe obſeruaſſe, quod aegri pleuritide laborantes ante quartum diem cruentam, mox etiam albam et coctam materiam ſpuerent, quam non hauriebant a profundo pectoris, ſed monſtrabant aegri illum locum, vbi ſub ſterno azyga vena in cauam aperitur.

Pleu-

Pleuritides per ſputa ſanantur, interim tamen non omnia ſputa leuant hunc morbum.

In peripneumonia omnia ſputa mala ſunt, quae dolorem non ſedant; omnium vero optima ſunt illa, quae dolorem ſedant.

In muliere iam quinto menſe grauida, dum ſecundo pleuritidis die ſputum illud coctum puriforme aderat copioſum, omnia ſymptomata leuabantur ilico, et quarto iam morbi die ſana fuit. Primo morbi die venaeſectio inſtituta erat, nec opus fuit illam repetere, quod imprimis notandum, quia *Hippocrates* abſolute lethalem in grauidis hunc morbum pronunciauit, et alibi omnem morbum acutum in grauidis lethalem dixit. Non ſola illa ſputa cocta alba proſunt, ſed et flaua illa cum pauco ſanguine admiſta.

Mitiſſimae ſunt pleuritides, in quibus ſanguinolentum ſpuitur: ſanguinis miſſio in his inſtituta damnabilis eſt, nam ſupprimuntur haec ſputa lethali cum euentu.

In valida pleuritide licet felici cura materies morbi ſoluatur et mobilis reddatur, vix vnquam obtinet, vt haec materia ſoluta

ſanis

ſanis iterum aſſimiletur humoribus, cumque illis absque vllo impedimento per vaſa corporis moueri poſſit, ſed ſemper fere vaſa ſic ſtimulat, vt excitata ſenſibili quadam euacuatione expellatur de corpore. Hoc ideo imprimis monendum erat, ne quis metueret in pleuritidis initio ſanguinem mittere ideo, quia crederet, ſalubria illa naturae molimina impeditum iri. Nec abſtinui a venaeſectione, ſi reſpiratio multum impedita erat, licet menſtrua fluerent, et bono cum ſucceſſu. Pariter et in puerperis pleuritide correptis, licet lochia fluerent, ſanguinis miſſio profuit inſigniter, quod et ſuis obſeruationibus confirmat *La Motte*, qui lochiis bene prodeuntibus, repetitas etiam in brachio venaeſectiones inſtituit.

Quandoque contingit in pleuritide adeo ſaeuum dolorem eſſe, vt pectus vix vllo modo dilatare poſſint: hinc pulmones parum ſanguinis transmittunt, atque ideo venae quidem plenae ſunt, ſed aorta paucum ſanguinem recipiens non vrget magna vi ſanguinem venoſum, vnde ex vena aperta ſaepe parum ſanguinis effluit: ſimulac vero ſuſpirando pulmonem magis dilatant aegri, vel tuſſiendo illum concutiunt, ſanguis

cum

cum impetu exit; ſaepe igitur tuſſim excitare debemus. Optimum tunc eſt vini vel aceti calidi cochlear unum vel alterum dare titulo cardiaci remedii, vel eadem naribus ſupponere, ſic enim invitis etiam excitatur tuſſis, et ſubito ſæpe dolor pleuriticus ceſſat, vel ſaltem inſigniter minuitur.

Sollicite monuit *Aretaeus* vitandum eſſe hic animi deliquium, (ſcilicet dum inſtituitur venaeſectio) ne peripneumonia ſequatur. Dum enim in lipothymia cor quieſcit, ſanguis in ſinu venoſo, auricula et cauo dextro cordis ſtagnat per aliquot ſaepe minuta, et ob inflammatoriam in hoc morbo ſanguinis ſpiſſitudinem in concretionem admodum pronus eſt, vnde iam concreſcere incipiens, dum excitabitur ab animi deliquio aeger, moueri debebit per pulmonem, ibique haerere poterit immeabilis in pulmonalis arteriae anguſtiis, ſicque peripneumoniam, ipſa pleuritide periculoſiorem morbum, producere.

Sanguinem e vena brachii lateris affecti educebat *Sydenhamus* in pleuritide; *Hildanus* fatetur, quod nunquam, vel ſaltem rariſſime, optatum ſucceſſum viderit ex ſectione venae in oppoſita parte facta. Recen-

centiſſime et ſuis obſeruationibus eandem ſententiam ſtabiliuit *Trillerus*, praecipue quoad primam ſanguinis miſſionem; alteram autem in pede eiusdem lateris adhiberi maluit, et deinde ſi opus foret, etiam tertiam quartamue venaeſectionem, quandoque et in pede oppoſiti lateris inſtituit. Monuit autem merito, primam ſanguinis euacuationem largiſſimam eſſe debere. Frequenter vſus fui ſolutione ſaponis Veneti in aquae et lactis dulcis partibus aequalibus, vel et in decocto emolliente ſaponem diluebam, ſumendo vnciam dimidiam ſaponis ad ſingulas libras liquidi diluentis; huic ſolutioni pannos laneos immergebam illosque dolenti lateri applicabam, impoſitis lateribus calidis caueas, ne refrigeſcerent talia fomenta. Nocte autem, ne moleſta foret aegris frequentior fomenti renouatio, perunctum prius unguento althaeae vel ſimili latus tegebam emplaſtro de melitoto.

Simplex decoctum hordei cum oxymelle et nitro frequenter ſufficit; diluit enim ratione aquae, laxat et mitigat hordei farinoſa ſubſtantia aquae miſta, mel cum aceto inflammatoriam ſpiſſitudinem pulcherrime reſoluunt, vti et nitrum, quod

ſimul

ſimul in acutis morbis nimium calorem lenit, denſitatem humorum minuendo.

Larga ſanguinis miſſio et alia remedia refrigerantia nihil quandoque proſunt, ſi aegri lecto affigantur perpetuo, imprimis ſi ſtragulis vel culcitris nimium obruantur. Ab omnibus medicis damnatur phrenitis ſicca, quae ſine ſputis eſt: demonſtrat enim euidenter, non deficere materiam per ſputa reiiciendam, ſed retineri in pulmone, vnde breui ſuffocatio metuenda erit; praecipue dum pulſus paruus demonſtrat, parum ſanguinis per pulmonem transmitti poſſe in cor ſiniſtrum. Dum autem pulſus ſimul durus et celer eſt cum calore magno, tunc metus eſt, inflammationem validam breui in gangraenam tranſituram eſſe.

Morbi acuti vocantur illi, qui velociter et cum periculo decurrunt; omnium acutiſſimi dicuntur illi, qui quartum diem non ſuperant; peracuti vero, qui ad ſeptimum usque diem durant, reliqui ſimpliciter acuti vocantur, ſi vigeſimum diem non exceſſerint.

Praerubra vrina, obſcura, notat humorum immeabilitatem difflata parte aquoſa

et ſimul maiorem acrimoniam iam in putridam corruptelam inclinantem, validumque motum febrilem.

PARAPHRENITIS.

Riſus Sardonius peculiare quaſi ſymptoma paraphrenitidis ſolet haberi.

Clyſmata iniecta, cum per totam longitudinem inteſtini coli usque ad ilei finem venire poſſint, multum boni faciunt, quia inteſtinum colon vbi circa hepar et lienem pergit, diaphragmati vicinum eſt, adeoque illud inteſtinum, molliſſimis decoctis per clyſma iniectis repletum, fomentum applicat blandum et reſoluens inflammato diaphragmati.

Dum in cauum abdominis ex abſceſſu diaphragmatis pus delabitur, multa ſunt mala metuenda: ſi enim conſideretur, diaphragma ſemper moueri, et rapidam ſatis circulationem eſſe in diaphragmate ob cordis viciniam, intelligitur, magnam copiam puris breui accumulari debere, et vlcus illud diaphragmatis ad ſanationem reduci non poſſe; imprimis cum a pure collecto

et

et mora acriori reddito, alluatur. Verum quidem eſt, pus effuſum proprio pondere abdominis inferiora petere, ſed illud retentum diu et corruptum putrido halitu inficiet omnia viſcera, et erodet partes, quibus accumbit.

HEPATITIS ET ICTERVS MVLTIPLEX.

Cum arteriae ad hepar delatae exiguae ſint, ratione habita ad molem tanti viſceris, et ſanguis ex venae portarum trunco per hepar mouendus pellatur lentius, cum iam venoſus ſit, adeoque cordis et arteriarum viribus non amplius moueatur; hinc forte minus frequens eſt vera hepatitis, inflammatoria, et longe ſaepius naſcuntur in hoc viſcere chronicae admodum pertinaces obſtructiones.

Cum autem inflammatio locum habeat tantum in vaſis, per quae feruntur liquida directione motus tendente a baſi canalis conici verſus apicem, patet aeque in ramis venae portarum per hepar diſperſis, quam in hepaticae arteriae propaginibus hunc

 mor-

morbum obtinere poſſe. Omnis enim ſanguis venoſus a reliquis viſceribus abdominalibus redux in truncum venae portarum confluit, et ex hoc trunco in ramos conuergentes iterum pellitur in hepate. Docuerunt autem iniectiones anatomicae, ramos arteriae hepaticae, huius viſceris nutritioni dicatum ſanguinem ferentes, per totum hepar diſtribui aeque ac propagines venae portarum, quae pro bilis ſecretione ſeruiunt, et vbique ſibi inuicem vicina haec vaſa per hepatis ſubſtantiam decurrere; imo etiam videntur anaſtomoſibus inter ſe vniri; felici enim iniectione per venam portarum facta, ceraceam materiam per arterias hepaticas rediiſſe noui: hinc aeque ac in pulmone duplex hic inflammatio obtinere poteſt. Hoc tamen notari meretur, quod inflammationis effectus magis diuerſi erunt in hepate, dum venae portarum rami, vel arteriae hepaticae fines, infarcti ſunt, quam quidem in pulmone fiet ab inflammatis finibus pulmonalis aut bronchialis arteriae. Nam in pulmone, vtroque caſu, vis ingens cordis proximi vrget loca inflammata: in hepate autem venae portarum propagines implentur ſanguine venoſo abdominali, lentius moto, quam

quam ſanguis arterioſus, qui per hepaticas arterias pellitur. Ideo effectus illi, qui fiunt a ſanguine vrgente loca inflammata, et ſimul ſunt ſigna inflammationis praeſentis, ſaepe non adeo ſe manifeſtant, vbi in ramis venae portarum haeret morbus; et haec videtur cauſa eſſe, quare quandoque medici in diagnoſi huius morbi fallantur.

Galenus et poſt illum plurimi medici magnam diuerſitatem poſuerunt in loco, quem inflammatio hepatis occupat, prout nempe vel in gibba parte, quae diaphragmati contigua eſt, vel in caua eius ſuperficie, quae duodenum et ventriculi partem tegit, haereret morbus. Imprimis autem ſigna diagnoſtica differre voluit, quia diuerſae partes ab hepatis tumore inflammatorio premebuntur et irritabuntur: hinc, ſi conuexam partem hepatis inflammatio occuparet, tunc et reſpirandi maiorem difficultatem, dolorem dextri lateris ad iugulum vſque protenſum, et tuſſim adeſſe monuit. Si autem concaua pars hepatis inflammata foret, tunc nauſeam, vomitum et ingentem ſitim potius obſeruari dixit.

Omentum habet nullum vas excretorium, et omnis illa pinguedo, fuſa et mota

per morbum vel validos labores, per epiploicas venas directe abit in venam portarum, adeoque ſubito totum hepar inundatur hoc pingui oleo, quod difficillime per vltimas anguſtias vaſorum tranſit, et peſſimas obſtructiones producere poteſt; imprimis in illo viſcere, quod primo oleoſae huius plethorae impetum excipit.

Nullibi calculi frequentius inueniuntur, quam in hepate, aut veſica fellea, et illis locis, quae vrinae ſecernendae, transmittendae, colligendae et excernendae dicantur.

In cadauere militis tam in ductu cyſtico quam hepatico inuenit lumbricum *Nebelius*, et copioſos ſimul in inteſtinis; vnde non ſine ratione ſuſpicatur, lumbricos ex duodeno per ductum cholidochum in ductum cyſticum et hepaticum irrepſiſſe. Forte et aliae viae ſunt, per quas in hepar venire poſſent vermes. *Ruyſchius* enim meſenterium equinum examinans inuenit partem arteriae meſentericae valde dilatatam, quam vbi diſſecuit, vidit innumeros vermiculos tenuiſſimam aciculam referentes. Non videtur abſurdum credere, talia inſecta, dum in prima ſua origine longe adhuc

adhuc minorem molem habent, poſſe ex arteriis meſentericis in venas et hinc in hepar venire. Notum eſt ex Anatomicis, hepar illo loco, vbi ventriculo incumbit, nudum peritonaeum tangere, adeoque ibi facillime a frigore ambientis aquae affici poſſe. Vidi aliquoties ab hac cauſa et hepatitidem, et pertinacem admodum icterum natos fuiſſe.

A ſiti diuturna in toto corpore peſſima mala naſci poſſunt, ſed praecipue in hepate, quia ibi ſanguis venoſus, absque pulmonis et cordis actione renouata debet fluere per anguſtias arterioſas. Si iam, toto tractu inteſtinorum et ventriculi ſicciſſimo reddito ob potus penuriam, nihil per venas meſeraicas reſorbetur, ſanguis venoſus abdominalium viſcerum craſſiſſimus reddetur, antequam per venam portarum in hepar propellatur, adeoque haerebit facillime in anguſtiis vltimis vaſorum. Sanguis autem venoſus, antequam cor dextrum ingrediatur, omni lympha totius corporis diluitur prius, et tunc vi cordis muſculoſa valida pellitur per arteriam pulmonalem. Verum dum bina haec adminicula ad facilem tranſitum deficiant circa hepar, facile

facile patet, ibi magis metuendum eſſe vaſorum infarctum a ſanguine immeabili.

Vbi poſt feruidiſſimas et ſicciſſimas aeſtates autumnali tempore graſſantur epidemicae febres continuae remittentes, tum obſeruationes practicae docuerunt, hepar frequenter affectum fuiſſe, et infarctum ſpiſſo ſanguine ad atrabilariam quaſi tenacitatem accedente: tunc in talibus aegris non apparet quidem ſaturatus ille flauus ictericorum color, ſed facies ceracea quaſi eſt, et pallido in dilutiſſimam flauedinem inclinante colore morbi huius ſignum dat.

Frequenter in febribus autumnalibus leuis hepatitidis ſigna inueniuntur; anxietate quadam circa praecordia potius quam dolore, faciei ceraceo quaſi colore, vrinis biliosis, leui quandoque flauedine in albo oculorum, imprimis circa angulum maiorem cognoſci hoc poterit, et ſolet ſimili methodo feliciter curari talis morbus, qui neglectus in principio, vel maximo motu, per vomitoria excitato, dum vrgetur materies nondum reſoluta, et profundius impingitur in extremis vaſorum anguſtiis, chronicos morbos difficillime curabiles poſtea producere poterit.

Signa

Signa diagnoſtica praecipua, quibus a tumente veſica fellea diſtinguitur abſceſſus, ſunt, quod ſuppurationem comitentur dolor pulſatorius, horrores vagi, et frequentiores et diuturniores; quod tumor ab abſceſſu factus non adeo limitatam figuram habeat, neque ſtatim in tali tumore fluctuatio appareat, et primo percipiatur in centro tumoris, omni reliquo ambitu adhuc duro: facile patet, tunc tantum illam difficultatem diſtinguendi tales tumores adeſſe, vbi occupant illam regionem, vbi veſica fellis ponitur.

Dum hepar a purulenta vomica conſumitur, multa mala fiunt, partim a reſorpto pure, cacochymiam purulentam ſanguini inducente, partim vero ab impeditis illis functionibus, quae a viſceris huius integritate pendent.

Bilis inter humores inquilinos corporis acerrima eſt et cito putreſcens; ſanguis ipſe venae portarum proximam bilis materiam continet; verum bilis efficacia talis eſt, vt ſanguinem ſoluat, vnde poſt diuturnum icterum, ſoluto nimis ſanguine a bile admiſta, ſolet immedicabilis hydrops ſequi.

Obſeruationes numeroſiſſimae docent, frequentiſſimam periodici icteri cauſam eſſe calculoſas concretiones in veſica fellea natas. Duo tantum hic proſunt, vel vt ſoluantur calculi concreti, vel vt expediantur viae, per quas tranſire poſſint in duodenum. Vbi in acutis ante ſeptimum diem icterus fit, ſemper ſuſpectus eſt; quia potius morbi augmentum deſignat, et hepatis hactenus liberi infarctum a materia adhuc cruda.

Miſſio ſanguinis, ad curandam inflammationem, triplicem ob cauſam adhiberi ſolet, vt nempe laeſio vlterior vaſorum inflammatorum impediatur, copia ſanguinis et eius impetu in vaſa obſtructa imminutis; vel vt vaſis diſtentis ab immeabili materia reſtituantur oſcillationes elaſticae per imminutionem diſtendentis liquidi; vel denique vt moleculae obſtruentes, minuto impetu liquidi a tergo vrgentis, retroprimi poſſint in loca latiora, ſicque obſtructio ſolui.

VEN-

VENTRICVLI INFLAMMATIO. INTESTINORVM INFLAMMATIO.

Hoc peculiare habet ventriculi inflammatio, quod conuulſionibus ſaeuiſſimis ortis, ſaepe ſubitam mortem faciat.

Damnabilis eſt praxis, in ventriculi inflammatione emetica propinare: pulcherrime vero ſuccedunt largae ſanguinis miſſiones, imo ſaepiſſime repetitae.

Vbi ſcirrhus (in ventriculo) adhuc recens eſt, magna copia ſaponis veneti prodeſt, ſed diuturno vſu, ita vt drachmas duas quotidie per plures menſes ſumant aegri: ſummum enim diſſoluens eſt, et ſatis mite; ſi autem ab hoc aſſumto dolores augeantur, abſtinendum eſt ilico. Tunc enim metuendum eſt, iam in cancroſam indolem degenerare ſcirrhum, qui tunc nequidem illud remedium ferre poteſt. Proſunt et aquae medicatae Spadanae, vel his ſimiles, quae mira vi ſoluendi concreta in corpore valent, neque interim acrimoniam magnam habent.

Inteſtini

Inteſtini coli flexus lieni proximus eſt; hinc faeces induratae, flatus impediti ab his faecibus circa lienis regionem tumores et dolores facere poſſunt, licet nullum in liene vitium haereat; et vbi tam apud veteres medicos quam recentiores frequens mentio fit ſcirrhi lienis ſatis cito curati, vix dubium eſt, faeces induratas circa flexum coli haerentes, talium tumorum cauſam fuiſſe, cum ſcirrhus non tam ſubito reſolui poſſit et plerumque ad omnia rebellis maneat.

Tenuia inteſtina frequentius inflammantur, quam craſſa. Difficile forte videbitur, quomodo ex craſſis contenta venire poſſint in Ileum inteſtinum, vti etiam quomodo locum illum, vbi voluulus haeret, ſuperare potuerint. Verum ſi conſideretur inuerſo hoc periſtaltico motu ileum euacuari, caeci finem urgeri quam maxime, et latera eius diſtrahi, apparebit et hoc fieri poſſe. Si autem in voluulo pars ſuperior inteſtini inferiorem in ſe ſuſceperit, non eſt interclusa via penitus retrogrado motu propulſis inteſtinorum contentis. Difficilius procul dubio hoc contingere poterit, vbi pars inferior dilatata ſuſceperit ſuperiorem; ſed notandum quod ſtercoraceus ille vomitus

ſoleat

ſoleat fere tantum contingere, dum in peſſimo ſtatu verſatur aeger, et gangraena iam adeſt, vel ſaltem breui ſequetur. Notum autem eſt, partes inflammatas tenſiſſimas flacceſcere, dum inflammatio in gangraenam mutatur. Pereunt multi ab inteſtinorum inflammatione, qui forte ſeruari potuiſſent, a nimia carminantium medicamentorum ingurgitatione; et cum raro contingit medicum in his morbis vocari antequam aegri copiam ſimilium ſumſerint, facile patet quam immaniter malum augeri debeat, vbi inteſtinorum inflammatio talibus irritatur.

Si in craſſis inteſtinis morbus haeret, iuuant clyſmata; loco enim inflammato applicata ſic molliſſima fomenta, vaſa infarcta laxant, et humores immeabiles diluunt. Vbi vero tenuia inteſtina inflammata ſunt, tunc quidem clyſmata huc vſque non peruenient naturaliter, ſed tamen craſſa inteſtina repleta talibus remediis balneum quaſi praebent omnibus vicinis, adeoque et ſic prodeſſe poterunt. Nihil enim magis iuuat ſpaſmo conſtrictas partes, quam emollientiſſimorum remediorum calida applicatio. Commendatur prudens opiatorum vſus; cum nullum ad ſpaſmos ſoluendos

reme-

remedium potentius opio habeatur: Sed non conueniunt haec, niſi prius ſanguinis miſſio et clyſmata adhibita fuerint, et vbi vires robuſtae ſint.

Si ab acido acri, vt in infantibus ſaepe fit, oriatur morbus, acidum abſorbentia et euacuantia exhibentur; e contra ſi a putrida materia natum fuerit hoc malum, acida et aceſcentia optimum remedium exhibent, imprimis ſi multa aqua diluantur. Caeterum aqua, oleum, emollientia decocta omnem acrimoniam eneruant, adeoque ſemper proſunt, etiam in illis caſibus, vbi de ſingulari acrimoniae indole dubium eſt, vel vbi eroſae partes ſola blandiſſima tantum ferre poſſunt.

Certum eſt, inflammationi inteſtinorum prius medelam fieri debere per venaeſectionem, fomenta, clyſmata molliſſima etc. et male feciſſe illos, qui crudum adhuc morbum irritantibus tractauerunt, non praemiſſis reliquis.

Cum hic morbus (voluulus ſcilicet) prae aliis omnibus in recidiuam maxime pronus ſit, tenuem victum ſolo imprimis iuſculo pulli gallinacei, commendamus, et tali

tantum

tantum quantitate, quae ad vitam ſuſtinendam ſufficere poſſet.

Si dolor acerrimus, vno in loco fixus manens, adfuerit, febris valida, aluus pertinaciſſime clauſa, omnia ingeſta vomitu reiiciantur, medela in initio morbi neglecta fuerit, vel abſque vllo leuamine adhibita, tunc nouimus, talem inteſtinorum inflammationem in gangraenam tendere. Facies cadaueroſa, plumbeus labiorum color, extremorum frigus, anxietas, abdomen plerumque inflatum, pulſus debilis et celerrimus, perito medico certiſſima ſigna exhibent inſtantis mortis.

Graui Iliaco ſi ſuperueniat alui fluxus, paucis poſt horis morietur, nam ſphacelata ſunt omnia, hinc lethalis fluxus. Et ſi Iliaco tumor ventris veniat, et flatus copioſi pedendo exeant, breui morietur.

Si a dyſenterici moribundi foetore ſanus inficiatur, et a putrido miaſmate ſuſcepto omnes vires ilico proſternantur, vinum rhenanum, acetum ſimplex vel et medicatum aromatibus penetrabiliſſimis, *efficacem medelam praeſtat; imo et* acetum *aqua dilutum clyſmate iniectum profuiſſe viſum fuit,*

vti

vti et ſerum lactis *acidulum iam* larga copia potatum et forma clyſmatis adhibitum.

APHTHAE.

In calidioribus regionibus omnino non, vel rariſſime occurrunt aphthae; ratio eſt, quod in calidis regionibus corporum humanorum habitus rarior ſit, et ad diaphoreſin et ſudores magis comparatus, ibi in morbis per ſudores ſaepe difflentur, quae ſub humidiori et frigidiori coelo, et in corporibus non adeo in ſudorem pronis, per hanc viam non tam facile exeunt de corpore; et obſeruatum eſt, ſudorem copioſiorem et vrinas vberiores reddidiſſe aphthas tutiores et leuiores, et contra omnia, quae has euacuationes minuebant, nocuiſſe.

Anxietas circa praecordia, debilitas, ſomnolentia leuis, inaequalis, perpetua, praecedunt aphthas; et ſimilia ſymptomata ante eruptionem miliarium obſeruantur, et poſt eruptionem factam minuuntur. Aphthas futuras praecedere ſtuporem et hebetudinem notauit *Ketelaer*, et rariſſime hoc

hoc ſignum fallit. Saepius obſeruaui, et ſingultum aphthas in ore apparituras breui, praecedere, qui tunc fieri videtur, dum aphthoſae cruſtae ſuperius ventriculi orificium obſident, illudque ſua mole irritant.

Vbi cito cadunt aphthae ſemper melioris ominis ſunt, licet etiam repullulent nouae breui denuo ſeparandae. Notant enim haec, copiam quidem materiae adeſſe, ſed ſatis mobilem, vires ſufficere, vias adhuc apertas eſſe. Vbi vero tarde cadunt, colligimus, materiam tenaciorem eſſe, vires minus firmas, vaſa ſuppoſita non ſatis peruia, adeoque maius indicatur periculum.

Si cogitemus, ductus communis bilis et ſucci pancreatici exitum in inteſtino duodeno poſſe obturari per cruſtam denſam aphthoſam, vt nihil transmittere poſſit, facile intelligimus, quantae anxietates circa praecordia fieri debeant. Dum autem ſeparata hac cruſta liber denuo exitus conceditur bili copioſae hic collectae, ſtagnatione et mora acriori redditae, non miramur, tormina ſaeuiſſima in inteſtinis, pariter ſic quaſi excoriatis, naſci, diarrhoeas et dyſenterias periculoſas produci. Hinc adeo damnauerunt multi medici purgan-

tium vſum in aphthis, quia hypercatharſin intra paucas horas lethalem inde natam viderunt, quam non a purgante remedio ſolo ortum duxiſſe admodum veriſimile eſt, ſed a collectis bile copioſa et ſucco pancreatico, ſubito ſic erumpentibus et crudam inteſtinorum ſuperficiem irritantibus. Praeterea vti ſaliuatio, deciduis in ore aphthis, ſaepe per aliquot dies durat, antequam dilatata vaſa ad priſtinam magnitudinem redierint, ſic ob eandem rationem et illa liquida, quae in ventriculi et inteſtinorum cauum naturaliter exeunt, pergunt ſaepe exire tanta copia, vt totum corpus exhauriatur. Aphthoſum os grauidae abortus praenuncium; impeditur enim alimentorum debita praeparatio, et chyli reſorptio; vnde cum in grauida muliere ſupereſſe debeat, quod duo corpora ſimul ſuſtineat, ille defectus chyli boni funeſtus breui erit foetui, imprimis ſi conſideretur, quod per morbum aphthas praegreſſum iam multum paſſus fuerit, ob mutatos matris humores in alienam omnino a ſanitate indolem.

NEPHRI-

NEPHRITIS.

Nephritis eſt renum inflammatio cum vehementi dolore.

Vrina pauca, aquoſa, in hoc morbo merito damnatur, et vt ſignum, et vt cauſa. Vt ſignum quia notat validam inflammationem adeſſe per totam renum ſubſtantiam; vt cauſa vero, quia omnia acria per vrinam naturali lege de corpore eliminanda retinentur, et diluens ſanguinis ad renes appulſi vehiculum a reliquis partibus recedens facit, vt inflammatoria denſitas in ſanguine augeatur.

Nixus corporis validus nephritidem producere poteſt: tunc enim omnes muſculi totius corporis tument quam maxime. Si iam conſideretur, renes accumbere validiſſimis dorſi muſculis tunc turgentibus, dum diaphragmate et muſculis abdominalibus ſimul agentibus, viſcera abdominalia premuntur; ſi praeterea animaduertatur emulgentium vaſorum amplitudo, patebit ſatis, quanta vis renibus inferatur a nixu valido, imprimis ſi incurnato antrorſum corpore graue pondus tollere nitatur homo, et cor-

pus erigere, tunc enim muſculi dorſi immanem vim exercent. Ab aeſtu etiam producitur aliquando nephritis; per aeris enim calorem diſſipantur liquidiſſima, ſanguis denſior redditur, vrina rubicundior et acrior, vnde et ſtranguria naſcitur. Ergo patet, et tunc cauſam nephritidis recenſeri poſſe; imprimis ſi concurrant curſus et equitationes diuturnae et validiores. Quandoque poſt ſymptomata, quae renes aut veſicam laborare docent ſequitur ileus et quidem lethalis.

Quibus ex ſtranguria voluulus ſuccedit, intra ſeptem dies intereunt, niſi oborta febre copioſa vrina effluat, Hippocrat. In commentario ad hunc aphoriſmum ſcripto *Galenus* dubitare videtur, an quidem genuinus ſit, et an *Hippocrates* vel vllus alius, vnquam talem caſum obſeruauerit. Bona tamen fide adfirmare poſſum, me caſum talem vidiſſe, qui ad amuſſim huic aphoriſmo reſpondebat, vbi aeger ſtranguria laborans, dein iliaco dolore correptus febre nata, quae prius vix aderat, affatim vrinam emiſit, et euaſit. Raro tamen hoc contingere, ſatis credo, cum in numeroſa praxi, viginti quinque annorum ſpatio, tantum ſemel mihi hoc videre contigerit.

Magna

Magna cautela in diſtinguenda nephritide ab aliis malis opus eſt. In nephritide inflammatoria vrinae quae craſſae excernuntur bonae ſunt, licet non ſubſidant vel ſedimentum inaequale et diuulſum habeant, quod in aliis morbis ſuſpectum haberetur. Ratio autem haec eſt, quia in aliis acutis morbis materia morbi ſoluta et mobilis reddita debet per pulmones tranſire, ſanguini miſceri, et cum illo per vaſa moueri, antequam ad renes venire poſſit; nec integra ilico per hanc viam exit, adeoque repetita pulmonis et vaſorum actione magis ſubigitur et laeuigatur, ſicque apta euadit, vt ſedimentum copioſum et aequabile in vrina faciat. In renibus autem poteſt eadem haec morbi materies, ſolui tantum incipiens et crudior adhuc, ilico cum vrina exire, nec opus habet, vt ſanguinis maſſae permiſceatur antequam exeat.

Nocent diuretica acriora, quia ſtimulo febrim, inflammationis comitem, augent, et vrinam reddunt acriorem, vnde loca haec dolentia magis irritantur, et omnia mala augentur.

Pus quidem cum vrina emiſſum non eſt ſignum abſolutum abſceſſus renalis, ſi ſo-

lum ſpectetur, poteſt enim et ex vreteribus aut veſica ſimiliter affectis prodire. Optime notauit *Trallianus* quibus diſtingui poteſt, pus a renibus an vero ab aliis locis veniat. Si enim non collectum fuit pus in viis vrinariis, ſed ex alia parte reſorptum cum vrina exiuerit, illud pus accurate permiſtum vrinae exibit, et non niſi ſenſim ad fundum vaſis ſecedet. Fuit enim illud pus vaſorum et pulmonis actione miſtum ſanguini, et per renales fiſtulas ſimul cum vrina ſecretum. Vbi vero a renibus vlceratis depluit, nunquam vrinae bene permiſcetur, ſed ilico in fundo vaſis, vrinam continentis, ſeparatum apparet. Difficilior videtur diagnoſis ex ſola vrinae purulentae inſpectione, vt diſtinguatur, an pus ex renibus, an vero ex veſica prodeat. Interim tamen obſeruata docent, pus veſicae longe tenacius eſſe, et glutinis inſtar ad fundum vaſis ſedere ilico; renum autem pus tenuius eſt. Praeterea in veſicae abſceſſu vna cum vrina prodeunt ramenta quaſi foliacea, quae *Trallianus* vocauit μορια πεταλωδη, forte membranae internae veſicae lamellae ſeparatae; a renibus vero ſuppuratis cum vrina excernuntur craſſiores particulae magis carnoſae, quas *Hippocrates*

tes

tes paruas carunculas σαρκια μικρα vocauit, et a renibus venire dixit; quae videntur eſſe partes ſemigangraenoſae ipſius ſubſtantiae renum. Sic etiam abſceſſibus externarum partium corporis ruptis videmus exire floccos membranae celluloſae puri permiſtos.

Notandum eſt, primum pus poſt vomicam renalem ruptam prodiens raro eſſe optimae notae, imprimis ſi diutius vomica clauſa manſerit; fere ſemper enim foetidum eſt, et quandoque ſanguinolentum. An a renibus tumentibus perfecta paralyſis in femore et crure eiusdem lateris produci poſſit, dubium videtur, cum magni trunci neruoſi, his partibus proſpicientes, ex foraminibus oſſis ſacri emergant, et tali ſitu locentur, vt vix a renibus etiam tumidiſſimis comprimi poſſint.

APOPLEXIA. CATALEPSIS.

Non ſine ratione ſtatuitur, quod in apoplexia liquidi cerebroſi ſpirituoſi effluxus in organa ſenſuum motuumque voluntariorum impeditur integre vel multum, ſuperſtite interim cerebelloſi liquoris in cor

et naturalia reſpirationis organa itu et forſan reditu aliquo.

Quo collum longius eſt, eo magis cor a baſi cranii diſtat. Cum autem motus, ſanguini per cordis ſyſtolen conciliatus, et dilatatio arteriarum a ſanguine impulſo, validiores ſint prope cor, quam in partibus remotioribus a corde; patet ſatis, eo validius vrgeri ſanguinem per vaſa cerebri, eo magis diſtendi haec vaſa, caeteris paribus, quo cor capiti magis propinquum eſt, praecipue cum per magnos ſatis ramos recto decurſu ſanguis ad caput feratur. Hinc notatur in phyſiologicis carotides et vertebrales arterias, vbi ad baſin cerebri appellunt, ita diſponi, vt impetus ſanguinis, per haec vaſa moti, minuatur, ne mollis encephali ſubſtantia a minus valido hoc impetu laederetur. Vnde patet, quare collum breue merito habeatur pro cauſa praediſponente ad apoplexiam.

Cum in obeſis omnia vaſa corporis comprimantur a pinguedine accumulata, patet ſatis, nimis impleri vaſa encephali, dilatari, minora vaſa comprimi, ſicque functiones cerebri ſenſim magis magisque impediri: hinc incipiunt fieri hebetes, torpidi, obli-

obliuioſi, ſomnolenti: ſenſuum omnium acumen in illis minuitur; tandemque, obruto nimia plenitudine cerebro, vel et ruptis vaſis, apoplexia moriuntur.

Ratio cur plethorici ſaepe fiunt apoplectici, haec videtur eſſe: ſanguis ruber naturaliter non inuenitur quidem in cortice cerebri, ſed in vaſis piae matris, omnibusque huius proceſſibus, qui ſe vbique inter corticem ipſamque medullam inſinuant; dum ergo omnia vaſa ſanguinea in plethoricis nimio ſanguine diſtenta turgent, dilatabuntur et haec vaſa. Verum cranii cauum exactiſſime repletur contento encephalo, et oſſa cranii in adultis cedere nequeunt adeo repletis plus ſolito vaſis ſanguineis, reliqua vaſa, tenuiores humores ferentia, debebunt anguſtari et comprimi, adeoque functiones encephali turbari.

Ad tres ſpecies poteſt reduci humorum nimia ſpiſſitudo, ad polypoſas nempe concretiones, ſpiſſitudinem inflammatoriam, et pituitoſum lentorem. Polypoſae concretiones, ſi carotidibus et vertebralibus arteriis impingantur, cerebri functiones turbare valent, et penitus abolere, ſi omnem omnino aditum ſanguinis arterioſi ad encephalon impediant.

Cauſa proxima in omnibus apoplexiis eſt eadem; ſed cauſae efficientes ſunt ſaepe diuerſiſſimae; vnde nulla poterit eſſe vniuerſalis curandi methodus. Si enim functiones animales abolitae ſint ob lentorem pituitoſum inertem ſanguinis, quo ineptus redditur, vt libere fluat per vaſa cerebri et ſecretioni ſpirituum ſeruiat, tunc ſola illa cura bona eſt, quae lentorem illum attenuet, ſanguini debitam ſoliditatem conciliet, et motum nimis languidum incitet. Verum ſi ſanguis inflammatoria denſitate haereat circa extrema vaſorum, tunc requiritur oppoſita medela, qua ſoluatur ſanguis, et motus humorum nimius compeſcatur. Dum impeditur liber tranſitus per vaſa encephali, tanto magis vrgentur rami carotidis externae, hinc facies adeo inflammata apparet, et maior copia ſaliuae, ac quidem viſcidioris, ſecernitur, quam aegri forti apoplexia decumbentes, nec accumulari ſentiunt, nec deglutiunt; vnde magis magisque congeritur, et a valida et forti reſpiratione ſpumeſcit.

Duplici modo prodeſſe poteſt alui fluxus, vel quatenus euacuando ſubducit materiae morboſae partem, vel quatenus impetum

et

et copiam humorum a ſuperioribus deriuat verſus inferiora. Dum enim liquidis per aluum ruentibus abdominalium viſcerum vaſa deplentur, ſicque ſanguini impulſo minus reſiſtunt, potens reuulſio a ſuperioribus partibus fit. Antiqui vocauerunt *paraplegiam* idem illud, quod hodie dicimus *paralyſin.*

In vertigine totum ſenſorium commune afficitur, verum tunc imprimis apoplexiam minitatur vertigo, quando cauſa vertiginis haeret intra cranium, tuncque vocatur vertigo idiopathica. Datur enim et vertigo ſympathica, vbi ſenſorium commune quidem afficitur, ſed cauſa extra cranium haeret, vti v. g. bilis corrupta in ventriculo etc. haec autem vertiginis ſpecies raro in apoplexiam deſinit.

Si conſideretur, euacuationes tunc tantum prodeſſe in morbis, quando vel morboſam materiam tollunt, vel nimiam copiam ſanguinis boni minuunt in plethoricis, vel motus circulatorii nimiam celeritatem ſedant, aut denique impetum humorum circulantium a partibus affectis deriuant in alia loca; facile patet, *non multum boni a ſanguinis miſſione in apoplexia a lenta*

lenta pituita, expectandum eſſe. Sed tunc ad clyſteres acriores et purgantia remedia confugiendum eſt: ſic inteſtina liberantur, et humores caput occupantes, reuelluntur.

Prudentia magna opus eſt in cura huius cacochymiae, vbi ſymptomata docent, encephali functiones iam perturbari; ſi enim nondum ſatis attenuatos humores ſubito moueas, haerebunt tanto pertinacius impacti anguſtiis vaſorum, et augebuntur omnia mala. Haec eſt ratio, quare prius praemitti debeant determinantia, vt, quantum per artem fieri poteſt, preſſio a capite auertatur, ſimulque per euacuantia tollatur pars grauantis ſaburrae pituitoſae. Tunc a lenioribus incipiendum eſt, et imprimis ab illis, quae potenter ſoluunt, et tamen circulationis impetum non augent, ſubito et vehementer, qualia ſunt ſapo venetus, tartarus tartariſatus, tartarus regeneratus, ſalia alcalina fixa ex cineribus plantarum etc. vbi his aliquamdiu vſurpatis leuamen ſymptomatum docet, lentorem attenuatum eſſe, tunc acriora et motum humorum magis augentia tuto adhiberi poſſunt, vna cum roborantibus, quae laxitatem

tem nimiam ſolidarum partium (ſemper huius cacochymiae comitem) emendent. Veſicatoria maximum hic vſum habent, quae non tantum ſtimulando partem, cui applicanrur, et irritando reuulſionem faciunt verſus alia loca corporis, ſed et ſoluendo epidermidem a cute faciunt, vt ſub eleuata epidermide colligatur magna copia lymphae, quae pertuſa hac veſica, per plures dies ſaepe pergit effluere, ſimulque motum in toto corpore augent, lentorem attenuant et diſſoluunt.

Diſtinguitur a tetano vniuerſali catalepſis, quod in tetano omnes articuli rigidiſſimi fiant, et nulla vi flecti vel extendi poſſint; cum in catalepſi cerea quaſi flexilitate, cedant omnia et maneant in ſitu, qui ipſis datus fuit.

DE MORBIS CHRONICIS.

In robuſtis et exercitatis hominibus morbi chronici plerumque tantum oriuntur ex vitiis relictis a morbis acutis male curatis; in debilibus vero et otioſam vitam degentibus, chronica mala oriuntur ex vitiis liqui-

quidorum, ſenſim natis, ob minus perfectam aſſimilationem ingeſtorum.

Auſtera frequenter morborum chronicorum cauſae ſunt: haec enim in ventriculum et inteſtina agunt primo et efficaciſſime, et conſtringendo venarum abſorbentium oſcula ſibi ipſis viam praecludere videntur, ne facile ſanguinem inficere poſſint: ſed et ab hoc effectu ſolo magna mala produci poterunt, dum internae tunicae ventriculi et inteſtinorum extrema vaſcula ſic contrahuntur, vt arteriae nihil emittere, venae nihil admittere poſſint: turbatur inde tota chylopoieſis. Verum vbi illa auſtera aſſumta, vel a potu, vel a liquidis in inteſtina delatis, diluuntur multum, ingrediuntur ſic diluta per vaſa lactea et glandulas meſenterii peſſime obſtruunt, vel et a venis meſentericis delata per venam portarum ad hepar, et ibi ſimilia mala producunt; hinc praecipue abdominalium viſcerum morbi chronici ab hac cauſa fieri ſolent.

Obeſos homines, valida corporis exercitia ſubito non ſine periculo obire poſſe certum eſt; fuſa enim per calorem corporis a motu auctum, pinguedo periculoſam ple-

plenitudinem vaſorum facere poſſet, et oleoſa immeabilitate vaſa minima in cerebro et pulmone obſtruere, vnde toties ſubita mors ſecuta fuit.

Thermae natiuo calore laxant omnia et emolliunt, venis bibulis cutaneis ſe inſinuant, ſanguini permiſcentur, obſtructa loca alluunt; et ſi potentur ſimul ſalubres illae aquae, tutum et potens habetur remedium, vt moles concreta in vaſis obſtructis attenuetur et ſoluatur.

PARALYSIS.

Cum ſaliuae excretio impediatur, magis debent repleri carotidis internae propagines, ſimulque ſanguis fluxurus per encephali vaſa non liberetur lenteſcente illa et mucoſa materia, quae per ſaliuales ductus ſeparatur. Poterunt ergo ab hac ſola cauſa turbari omnes encephali functiones, adeoque et paralyſis produci. Ob hanc rationem periti medici *a ſiccitate oris interni*, in morbis acutis, *ſemper deliria et phrenitides metuunt.*

Vbi

Vbi cauſa paralyſis in neruorum integumentis haeret, per artem tolli poteſt; vbi vero ipſam nerui ſubſtantiam occupat, raro vel nunquam curatur.

Paralyſis eſt muſculi laxa immobilitas; nullo nixu voluntatis vel vitae ſuperanda. In genere fere dici poteſt, quod, quo paralyſis altiori in loco corporis haereat, eo ſit periculoſior, quoniam cauſa mali encephalo tunc propinquior eſt.

Paraplegia ſaepius apparuit, nullo vitio intra cranium exiſtente; forte nunquam viſa fuit hemiplegia, niſi encephalum ſimiliter affectum fuerit: nam balbutiunt fere ſemper, memoriam laeſam habent etc. hinc pariter metus eſt, ne increſcente cauſa hemiplegiae ſequatur lethalis apoplexia. Vbi vero apoplexiae ſuccedit paraplegia vel hemiplegia, melior ſpes eſt, quia tunc novimus morbi cauſam minui, et quasdam encephali partes liberari. Duplex imprimis eſt cauſa paralyſis, nempe omne illud, quod neruum tranſmittendo ſpiritui ineptum reddit, et deinde quidquid arterioſi ſanguinis introitum in muſculum impedit. Omnium peſſimum ſignum eſt, ſi pars paralytica ſimul fiat atrophica; tunc enim denotat,

notat, nihil humoris vitalis nutritii adferri ad partem amplius, adeoque ſenſim lento maraſmo contabeſcere.

Tremor conuulſivus partis paralyticae bonus eſt vt cauſa et vt ſignum; notat enim cauſam muſcularis motus denuo applicari muſculis paralyticis, ſed nondum tali cum conſtantia, vt durabilis ſit effectus, ſed mox vacillet denuo; vnde incipientem ſanationem indicat et integrae curae magnam ſpem facit; imprimis ſi leuis conuulſio tremorem hunc comitetur. Omnes enim muſculi, qui in nobis diu quieuerunt, ſi ſubito moueantur, conuelluntur; vti videmus in illis, qui ex ſomno expergefiunt a magno fragore audito, vel ſimili cauſa, ſubito ac valide agente in ſenſorium commune et neruos. Verum et ille tremor conuulſiuus prodeſt, vt cauſa, cum per hos concuſſus expediri poſſit ſaepe omne illud, quod adhuc immeabile in ipſis muſculis, arteriarum finibus, forte et in ipſis neruis, vel ſaltem horum inuolucris, haeſit. Percipitur quandoque ſimul puncturae ſenſus in parte affecta, pariter laeto omine. Sic videmus ſaepe, quando quis dormitabundus oblique inſedit coxae, et toto fere pondere corporis compreſſit magnum trun-

cum neruoſum per poſteriora femoris decurrentem, quod totum crus ſtupeat immobile; mutato autem corporis ſitu, adeoque compreſſione ablata, paulo poſt moleſtus ſenſus percipitur, ac ſi innumerae aciculae partem hanc pungerent; paulo poſt redit motus et ſenſus. Omnia ergo illa ſymptomata in parte paralytica obſeruata denotant, motum liberum per arterias et neruos in muſculos inchoatum iam eſſe, adeoque magnam integrae curae ſpem affulgere.

Prudentes medici non multum ſperant de curanda paralyſi, quae per plures iam annos perſtitit, quia iure metuunt, neruoſam fabricam vel deſtructam eſſe, vel iam concretam adeo, vt nihil amplius transmittere poſſit.

EPILEPSIA.

Epilepſia praeſens agnoſcitur, ſi omnes ſenſus interni et externi aboliti ſunt, et ſimul motibus conuulſiuis ab arbitrio mentis minime pendentibus, agitantur muſculi. Diſtinguitur ſic a paralyſi, in qua flac-

flaccida immobilitas muſculorum eſt; a catalepſi pariter in quo morbo ſenſus abolentur quidem, ſed corpus illum ſitum retinet, quem primo momento accedentis morbi habebat; ab apoplexia, quia in apoplecticis cum abolitione ſenſuum et motuum arbitrariorum adeſt imago profundi et perpetui ſomni absque conuulſiuis motibus. Adeoque ſigna diagnoſtica epilepſiae praeſentis redigi poſſunt ad haec bina, ſenſuum nempe abolitionem et perturbationem motuum muſcularium. Vbi conuulſi muſculi rigent, nec relaxantur, tetanus dicitur; ſpaſmus vero, ſi in parte ſingulari quadam corporis idem obtinuerit.

In omnium peſſima ſpecie, abſque vllo ſigno praemonente, cadunt ilico; et experimenta practica docuerunt, illam fere ſemper incurabilem eſſe. Frequentius primo ſentiunt vertiginem, ſcintillas oculis obuolitantes, colorem purpureum nigrum, vel et variegatos iridis colores; quibus miri ſoni auribus percipiuntur; aliis moleſtus odor in naribus, vel ſapor ingratus in ore, naſcitur. Quosdam vidi, quibus ſcintilla lucida apparebat ante oculos, quae ſubito augebatur, donec in immen-

ſum jubar creſceret, et tunc cadebant; alii omnia obiecta incipiebant videre, ac ſi denſa nebula obfuſcarentur, et ſubito creſcente hac caligine concidebant. Quidam ſentiunt a digito pedis, manuſue, vel et ab alio quodam corporis loco, auram quaſi frigidam adſcendere, quae vbi ad praecordia venit, corruunt. Horum omnium aegri adhuc memores ſunt, quando a paroxyſmo reſurgunt; reliqua autem, quae paroxyſmi tempore contigerunt, ignorant omnino.

Impedita reſpiratione ſanguis libere per pulmonem transmitti nequit, adeoque nec cor dextrum ſe euacuare; vnde ſanguis venoſus accumulatur circa cor dextrum, et omnes venae conſpicuae apparent turgidiſſimae, imprimis venae frontis, raninae ſub lingua, jugulares in collo; incipit tunc liveſcere facies, imo fere nigreſcere, primo ſub oculis circa palpebram inferiorem, vbi laxa admodum cutis eſt; vti etiam circa labia, ſimili fere modo ac fit illis, qui in laqueo haerent.

Epilepſia eſt morbus ſenſorii communis, per quem poteſtas ſentiens aboletur, potentia vero motus muſculares excitans

ſummos

ſummos effectus praeſtat, abſque conſcientia et voluntatis imperio. Nulla forte cauſa frequentius produxit epilepſiam et ſaepius incurabilem, imo quandoque ſatis ſubito lethalem, quam terror, metusque imprimis.

Fere omnes qui iſchuria pereunt, ſoporoſi conuulſi moriuntur, quia retinetur vrina, per quam naturaliter eluuntur de corpore ſales et olea acriora ſanguinis, vnde producuntur capitis morbi.

Vbi in inſultu epileptico extrauaſati humores fuerint, lethalis apoplexia ſequitur, vel imperuia reddita quadam parte medullae cerebri, inſuperabile malum tota vita manet.

Aliquoties ſpuma viſcida ac ſanguine tincta ex ore naribusque prodiiſſe paroxyſmi tempore obſeruatur, et tamen poſtea nullum laeſionis veſtigium in lingua aut aliis partibus oris interni inueniri potuit. Si iam vena caua per hepar tranſiens pleniſſima fuerit, nec ſe in dextrum cor euacuare poſſit, tunc nec vena portarum ſanguinem, a ſecretione bilis reſiduum, venae cauae tradere poterit; dum interim conuulſi muſculi abdominales et diaphragma

 tanta

tanta vi vrgent ſanguinem venoſum verſus hepar, hinc facile poterunt dilatari oſcula vaſorum in cauum inteſtinorum patentia, vt ſanguinem ipſum transmittant, absque ruptura tamen viſcerum. Simili modo et ſanguis a ſplene redux dum hepar infarctum ſanguine nihil transmittere poteſt, per vaſa, breuia dicta, in cauum ventriculi viam ſibi facere poterit. Sic ratio patet, quare ſanguis ſurſum et deorſum quandoque ipſo paroxyſmi tempore, vel et poſt paroxyſmum finitum exire poſſit.

Tempore paroxyſmi epileptici omnes ſecretiones et excretiones turbantur.

Epilepſia vbi ex aliis partibus corporis initium capit, facilius curatur, ſed omnium maxime, quando a manibus aut pedibus oritur; difficilior eſt cura, ſi a latere naſcitur; grauius adhuc malum eſt, ſi a capite incipit.

Quantum potui intelligere ex iis, quae optimi medici obſeruauerunt contigiſſe in hoc morbo, vel tentauerunt ad eundem curandum, fere ſola ſpes in illo conſiſtebat, vt magna mutatio induceretur corpori. Non determinauerunt, quid mutandum eſſet in epileptico, vt fieret ſanitas, ſed

ſed tantum praeſentem corporis conditionem conabantur mutare in aliam; malebant enim periclitando per incerta agere, quam miſeros illos ſuo relinquere fato. Neque credi debet, talia tentata fuiſſe caeco impetu, ſed optima cum ratione, dum ars naturae, hunc morbum curantis, ductum ſequebatur. Obſeruauerat *Hippocrates*, circa pubertatis tempus quando miro adeo modo totum corpus mutatur epilepſiam quandoque ceſſare. Ideo commendauit mutationem regionum et viuendi generis ad hunc morbum tollendum.

Tutiſſimum ſemper eſt, educere ſuppreſſam excretionem per illa loca, per quae antea exire ſolebat.

Quis crederet, ſpinas oſſeas, meninges cerebri et cerebrum ipſum irritantes, excreſcentias oſſeas cranii, cartilagineam ſinuum venoſorum duritiem poſſe tolli vel decantatiſſimis arcanis? An encephali et totius generis neruoſi fluxilis mollities, et facillima irritabilitas, quae recens natos praediſponunt ad epilepſiam, adeo vt a leuibus etiam cauſis occaſionalibus conuellantur ilico, tolli poterunt remediis? Ab aucto hic corporis robore per aetatem et

corporis ſalubrem motum merito ſperatur curatio, et interea prudentes medici cauent vel tollunt omnes cauſas occaſionales quae inteſtina et ventriculum vellicando, aut dentitionis tempore gingiuas irritando, paroxyſmum epilepticum producere poſſent. Si quis haec omnia conſideret, facile videbit, vniuerſale antepilepticum remedium qui promittunt, vel falli, vel fallere.

MELANCHOLIA. MANIA.

Melancholicorum inſania a phrenitide et delirio febrili differt, quod ſine febre fiat; a mania autem diſtinguitur, quod nondum adſit ſaeuus ille furor.

In ſumma moeſtitia videmus faciem contrahi et palleſcere, anxietas ſumma circa praecordia percipitur, ac ſi torculari omnia premerentur; magna ſaepe copia vrinae limpidae exit. Simul tunc pulſus paruus, languidus, tardus et rarus eſt. Liquidiſſima ergo parte ſpoliatus ſanguis per vaſa contracta mouetur debili vi, adeoque naſcitur facilis occaſio, vt craſſiores ſanguinis

guinis partes adunentur. Simul illa anxietas magnae moeſtitiae comes, et aegritudinis moleſtiſſimum ſenſum circa ſtomachum faciens, notat impeditum facilem tranſitum per venam portarum; adeoque in vaſis abdominalium viſcerum haerere incipiet breui illud ſanguinis craſſamentum; ſicque non tantum humorem atrabilarium, ſed etiam morbum hypochondriacum producet. Accedit praeterea quod ingens triſtitia faciat, vt vni eidemque cogitationi mens inhaereat diu, ſimulque ſomnum arceat, adeoque et hoc modo triſtitia humorem melancholicum in corpore producere poterit.

Poſt aeſtiuos calores toleratos tempore autumnali frequenter melancholici morbi obſeruantur; difflantur enim liquidiſſima de corpore per auctam perſpirationem inſenſibilem et ſudores. Notum eſt omnibus in praxi verſatis, poſt aeſtates feruidiſſimas autumnali tempore ſequi febres difficillimas curatu, quae in principio continuae videntur, ſed poſtea in intermittentium claſſem veniunt; in illis magna anxietas circa praecordia obſeruatur, et niſi inſpiſſata bilis excutiatur de corpore, ſaepe tota hyeme languent tales aegri; dein ſol-

uentibus remediis vernoque tepore funditur illud atrabilarium, et inſtar picis liquatae per aluum exit.

Stricta et macilenta corpora in melancholicos morbos magis prona ſunt, quia valido vaſorum robore tenuiſſima expelluntur, craſſiora manent.

Aere vtendum humido tepeſcente; liquidiſſimis enim partibus et mobiliſſimis ſanguinis diſſipatis, lenteſcit reſiduum; vaſa minora exhauſta collabuntur, totum corpus ſiccius redditur, ſolidae partes rigidiores fiunt, et liquidis impulſis cedunt difficilius, ſicque ſtricta et ſicca temperies toti corpori inducitur. Aer ergo humidus et tepeſcens nimium ſolidorum robur minuet, ſimulque aquoſum et tenue vehiculum craſſioribus fluidis ſubminiſtrabitur, dum venae bibulae in tota ſuperficie corporis poſitae, laxatae pariter per teporem humidum, partem illius aquoſi ex aere contiguo abſorbebunt. Haec eſt ratio, quare tempore verno, quod tali aeris temperie gaudet, felicius curetur hic morbus, vti et omnes fere morbi chronici.

Fructus horaei ſed bene maturi palmam fere omnibus aliis praeripiunt. Illo enim tem-

tempore anni abundant hi fructus, dum moleſto calore aeſtuant ſub aeſtiuo ſole homines, et diſponitur ſanguis ad atrabilariam cacochymiam, durant in autumnum vſque, vt illorum vſu ſolui poſſit, et blanda vi aluum laxante, expelli melancholica ſaburra, aeſtatis tempore collecta. Furentiſſimos ex melancholia maniacos ſanatos vidi, dum ſolis fructibus horaeis veſcebantur, et quidem ceraſis, aut fragis ad *viginti et vltra libras* quotidie per aliquot ſeptimanas aſſumtis, dum reliquos omnes cibos et cuncta remedia, ob veneni ſuſpicionem, quam pertinaciſſime auerſabantur.

Docuit anatome, intricatiſſimam minimorum vaſorum conglomerationem eſſe in glandulis, adeoque minus meabiles humores facile circa loca glanduloſa haerere incipient. Materia atrabilaria frequenter originem ſcirrho dat, imprimis dum ceſſante fluxu menſtruo vel haemorrhoidali, nihil de materia illa atrabilaria euacuatur amplius de corpore.

Quamuis humor atrabilarius diuerſa loca corporis occupare poſſit, omnium tamen frequentiſſime in viſcera abdominalia deponi ſolet et figi. Demonſtratum eſt,

eſt, mobiliſſimas ſanguinis partes, a corde in aortam pulſas, rectiſſima via, et maiori velocitate, a corde recedere, minus mobilia et viſcida tardius moueri; adeoque iuxta leges *hygraulicas* in truncum deſcendentem aortae ferri, ex quo coeliaca arteria et binae meſentericae, quae viſceribus abdominalibus proſpiciunt, ortum ducunt. Cum ergo in hoc morbo, mobilioribus partibus diſſipatis, immobiliora vnita fuerint, horum craſſiorum pars magna per has arterias feretur. Si iam ſimul conſideretur, omnem ſanguinem viſcerum abdominalium bis arterioſum fieri; antequam ad cor redeat, adeoque hic tardiſſimum eſſe humorum traiectum, patebit ratio, quare ad viſcera abdominalia omnium frequentiſſime deponatur humor atrabilarius, qui antea cum circulantibus humoribus aequabiliter fluxerat. Notum eſt, quantum reſpiratio valida conducat ad expeditum humorum per viſcera abdominalia circuitum, quia, diaphragmate et muſculis abdominalibus agentibus, premuntur omnia contenta abdominis, ſicque ſanguinis venoſi motus promouetur. Dum iam melancholici, vni et eidem cogitationi affixi, omnia reliqua negligunt, plerum-

rumque ſedentariam vitam ducunt, vel et quandoque ſtudiis pertinaciſſime incumbentes incuruo antrorſum corpore ſedent, adhuc magis impediunt liberum humorum trajectum per abdominis viſcera, atque omnium maxime, quando pleno poſt paſtum ventriculo in tali corporis poſitura diu manent.

Certe atrabilaria ſaburra, per victum idoneum et ſoluentia remedia quaſi liqueſcens, ſi ſponte prodeat, ſummum in hoc morbo leuamen dat, adeoque illa purganda eſt; ſi vero alii mobiliores humores educantur de corpore in melancholicis, nocet ſemper. Cum ergo ſine periculo vix poſſit tentari totalis expulſio materiae atrabilariae, niſi prius ſoluta atque adeo mobilis reddita fuerit, vt lenioribus remediis educi poſſit, huic indicationi prius incumbendum erit. Verum et hic iterum prudentia opus eſt: omnia enim viſcera abdominalia, vti notum eſt, ſanguinem ſuum venoſum tradunt hepati, et dum infarcta materia ſoluitur ex his viſceribus, tranſit ex arteriarum finibus, in quibus haeſerat, in venas; adeoque perueniet ad hepar; cum autem huic materiae atrabilariae, vti poſtea

ea adhuc pluribus dicendum erit, acrimonia magna quandoque jungatur, quae tenaci et piceae huic maſſae inuoluta non multum nocet, ſed ſolutis his vinculis, quibus irretiebatur, illud acre actuoſum redditur, et vno impetu magna copia per venam portarum in hepar ruit; hinc tenerum hoc viſcus integre deſtruere vel ſaltem inſigniter laedere poſſet. Ob hanc rationem non nimis ſubito urgenda eſt haec ſolutio materiae morboſae, et tantum per talia remedia, quae efficacem ſoluendi vim habent ſine magna acrimonia.

Vbi acidum auſterum praedominatur, ſapo Venetus ex oleo puro preſſo vegetabili et ſale alcalino confectus, conducet; e contra ſi putridum cadaueroſum aut oleoſum rancidum deprehendatur ſuis ſignis, tunc aceſcentes ſapones, vt mel, oxymel ſimplex, ſucci fructuum horaeorum ſubacidorum, ſyrupi officinales ex ſimilibus confecti proderunt, qui in priori caſu augerent potius acrimoniam acidam, cum haec omnia ſponte ſua aceſcant.

Si ſigna docuerint acrimoniam putridam adeſſe, fructus horaei, lacticinia, farinacea bene fermentata, oryza, hordeum, ſecale

cale etc. in victu proderunt. Eadem autem cum ſint vel acida, vel cito aceſcentia, nocerent vbi conſtat ex ſignis acidam acrimoniam inhaerere atrae bili. In hoc enim caſu oua ſorbilia, iuſcula ex carnibus iuniorum animalium parata, vel ex gammaris et cancris, carnes tenerae aſſatae, piſces fluuiatiles aſſi proderunt. Semper tamen ex quacunque materia ſumantur cibi, eligantur tales, quae vel ſponte ſua vel per artes culinares praegreſſas facile digeruntur, et paucas faeces relinquunt. Ob hanc cauſam potius laudatur lactis ſerum quam lac ipſum, quia videmus infantes, ſolo lacte materno vtentes, copioſas et ſatis craſſas faeces per aluum euacuare. Ob eandem rationem iuſcula praeferuntur carnibus. Simul hic magnum vſum habent olera illa mollia, vt endiuia, ſpinachia, maluae etc. imprimis ſi iuſculis incoquantur, et deinde per colaturam ab herbis incoctis ſeparata iuſcula potentur: ſic enim vix quid faeculenti relinquitur in inteſtinis et ſimul blanda aluum ſubducente vi, quam habent haec olera, expelluntur faeces relictae.

Motus corporis quidem conducit, cum ſedentaria vita ſemper melancholicis noceat;

ceat; ſed debet eſſe moderatus, ne caleſcat multum corpus, et liquidiſſima diſſlentur, ſicque augeatur copia materiae atrabilariae; nec tantum ob hanc cauſam, verum etiam quia valido motu poſſet ſubito ſaepe moueri atra bilis, et turgens reddi, ſummo cum periculo; ob eandem rationem intenſi calores vitari debent.

Maxime proderit per clysmata iniicere talia remedia, quae absque multa acrimonia ſoluendi vim efficacem habent, illaque diu retinere, vt abſorpta venis inteſtinorum directe ad hepar veniant, vix mutatis viribus. Serum lactis mellitum, ſapo venetus in aqua ſolutus, tartarus ſolubilis, vel tartarus regeneratus *Sennerti* potenter ſoluunt et blanda tamen ſunt.

Omnium tutiſſimae ſunt illae euacuationes materiae atrabilariae in hoc morbi ſtadio, quae lente et ſucceſſiuis vicibus fiunt; ſic ſenſim minuitur morbus, liberantur viſcera, et ſanitas redit, quamuis tardius.

Sputatio tenuis et frequens imprimis obtinet, dum per abdominalia viſcera, humore tenaci atrabilario infarcta, impeditur libera circulatio, adeoque et ſecretio lymphae inteſtinalis, ſucci pancreatici et gaſtrici,

gaſtrici. Cum autem glandulae ſaliuales ſimilem humorem a ſanguine ſeparent, ideo ſaliuae ſecretio augetur, continuo os madet, et frequens ſputi tenuis excretio fit. Ob hanc cauſam vocantur *Sputatores* melancholici. Nocet autem frequens talis ſputatio vt ſignum et vt cauſa. Significat enim vaſa abdominalia viſcerum infarcta eſſe, ſimulque copioſa talis tenuis ſputi excretio orbat ſanguinem liquidiore et mobiliore parte, adeoque morbum auget.

Summi ſemper momenti eſt in morborum curationibus, attendere ad illa, quae ſponte in morbis contingunt cum leuamine; ars enim ſic edocta conatur haec imitari; vel ſaltem prudens medicus inde diſcit, ne peruerſa medela impediat ſalubria haec naturae, morbos ſanantis vel emendantis, conamina. Foeda ſcabies, totam fere ſuperficiem corporis deturpans, prodeſt melancholicis. Probe memini me talem caſum vidiſſe in homine per plures annos iam hoc morbo laborante, in quo vlceroſa cutis coepit plorare liquidum ichoroſum, quod in foedas et denſas cruſtas concreſcens totam corporis ſuperficiem deturpabat. Ratio huius rei videtur haec eſſe:

Obſeruatum eſt, atrabilariam materiam non tantum peccare ſpiſſitudine et picea tenacitate, ſed et ſimul huic tenaci adhaerere magnam acrimoniam, quae minus nocet, quamdiu ſic inuiſcata manet. Verum vbi quacunque de cauſa ſoluitur atra bilis, tunc illud acre, his nexibus liberum, humoribus circulantibus facile miſceri poterit, et ſi magna copia et impetu in quasdam corporis partes adigatur, peſſima et immedicabilia mala producet. Si autem ſenſim ſoluatur atra bilis, ſenſim extricabitur illud acre, et lympha corporis dilutum ad emunctoria cutis peruenire poterit; cumque minima illa vaſa acri ſtimulo irritet, non exhalabit per tranſpirationem inſenſibilem, ſed haerebit in vaſis minimis cutaneis, illa erodet ſicque omnia haec mala producet. Ita et videmus in aliis morbis materiem morboſam ad cutanea vaſa delatam illa obſtruere, inflammare, varias puſtulas et exanthemata in cute facere, quia craſſior cum ſit, vel haeret in vaſorum anguſtiis vltimis, vel acrior quandoque illa irritat et conſtringi facit. Hinc forte quandoque febres varioloſae ſine variolis contingunt, quando miaſma varioloſum ad cutis ſpiracula delatum exit libere,

bere, vti nempe mitior indoles contagii varioloſi, humores diluti, et vaſa cutanea laxa et facile peruia ſunt. Sic nouerunt medici, antequam miliaria exanthemata erumpant, imprimis alba, percipi odorem fracidum ſubacidulum, inſtar vappidi aceti. Exhalat tunc pars materiae morboſae, quae poſtea per moram ac febrim acrior reddita, maiori copia ad cutis vaſa delata retinetur, imprimis circa cutaneos folliculos, quas diſtentos morboſa lympha eleuat in paruos et pellucidos tumores. Forte etiam epidermis in pluribus locis a cute ſoluitur et a collecto liquido in minimas tales bullulas eleuatur. Quandoque enim minimae tales ſphaerulae vltra cutis ſuperficiem eminent, frequentius dimidia quaſi ſui parte cuti immerſae manent.

Vt intelligatur, quomodo hydrops maniae prodeſſe poſſit, notandum eſt, quod quandoque ille morbus a ſolutis nimis humoribus naſcatur, qui tunc vaſis maioribus elabuntur, et in cauis corporis vel in panniculo adipoſo colliguntur. Verum talis humorum ſolutio dum adeſt, et tenax illud atrabilarium pariter attenuabitur, et exibit de corpore, vel per metaſtaſin ad

 alia

alia loca corporis deponetur cum leuamine. Notum eſt, per argenti viui vſum totum ſanguinem ſolui in tenuem et putridam lympham, quae vel per aluum exit, vel per ſaliuales glandulas excernitur; vnde validam mercurialem ſaliuationem paſſi aegri palleſcunt toti, et ſi excretio per ductus ſaliuales a quacumque cauſa impediatur ſubito, facies, collum, labia immaniter tument ab aggeſta lympha non excreta. Obſeruata medica iam docuerunt, maniacos aliquando ſaliuatione mercuriali ſanatos fuiſſe. Praeterea quandoque in maniacorum cadaueribus inuenta fuit aquoſa colluuies in ventriculis cerebri, quae reſorpta et ad alia loca corporis depoſita, poſſet maniae leuamen adferre, nato tumore hydropico in alia corporis parte. Sic obſeruamus ſaepe, difficillimam reſpirationem, a pectoris hydrope natum, leuari, dum pedes incipiunt tumere, et contra pedum tumorem hydropicum ſubito euanidum, pectus grauare. Ex quibus patet et alia ratio, quare hydrops maniae prodeſſe poſſit.

Si ab atra bile oriatur mania, ſpem habemus, ſoluta et euacuata hac materia morbum curari poſſe; verum vbi a valido animi

animi affectu ſic mutatur ſenſorium commune, vt mania ſequatur, ſatis patet, non intelligere liquido medicum, qualis ſit haec mutatio ſenſorii communis, et per quae tolli debeat remedia.

Proſunt opiata in cura maniacorum, quando nempe prius euacuationes tam per venaeſectionem repetitam, quam per purgantia praeceſſerunt, omnium maxime, ſi pertinaces adſint vigiliae. Magnam opii quantitatem ferre poſſunt maniaci.

RABIES CANINA.

Mira certe veneni rabidi proprietas, et explicatu difficillima. Simul incipit tunc genus neruoſum turbari (cum de laſſitudine et grauitate conqueruntur aegri) ſomnia oriuntur horrenda, moeſtitia inſolita, metus absque cauſa. Non mirum eſt illos metuere, qui conſcii ſunt, ſe a cane rabido demorſos fuiſſe; verum et triſtitia et metus obſeruantur in illis, qui ignorant, ſe hoc veneno infectos fuiſſe; vel ob diuturnitatem temporis poſt morſum inflictum omnino obliti ſunt, ſibi tale quid conti-

giſſe; quin imo hoc morbi ſtadio facies pallida et contracta apparet, vt in meticuloſis hominibus fieri ſolet. Vigiliae aſſiduae, cum enim anxietas magna ſemper adſit, ſitisque et ſiccitas faucium, hinc ſomnus admodum difficilis, vel nullus.

Non ſemper delirant; vnde merito *Salius Diuerſus* dixit, inter propria et pathognomonica huius morbi ſigna delirium non eſſe numerandum. In genere videntur obſeruata docere, raro penitus delirare hydrophobos, ſed licet toruo et minaci vultu, clamoribus, feroci mordendi conatu, terreant adſtantes, tamen mentis compotes manere pleroſque ad mortem usque. Conſtat, plures hydrophobos monuiſſe adſtantes, vt ſibi cauerent, dum praeſentiebant, nouum furoris quaſi paroxyſmum inſtare. Rubor faciei maior, oculorum immobilitas, diſtorſiones muſculorum faciei plerumque praecedunt immediate talem exacerbationem. Miſerrimus ille aegrorum ſtatus non diu durat; incipit tunc pulſus vacillare, imo deficere, reſpiratio fit difficillima, ſudor gelidus viſcidus per totum corpus exit, et plerumque conuulſi pereunt.

Raro

Raro vel nunquam *quartum diem* excedit hic morbus, computando imprimis a fine primi gradus; quia, prima illa ſymptomata, quae latens venenum docent iam actuoſum fieri, quandoque per plures dies durant, antequam aquae metus ſequatur.

Obſeruatores, qui deſcripſerunt illa, quae in cadaueribus hydrophoborum notata fuerunt, fere omnes teſtantur, bilioſam materiem in ventriculo fluctuaſſe; vel cyſtidem felleam tenaci et quandoque atra bile diſtentam fuiſſe.

Notum eſt ex Phyſiologicis internam ſuperficiem pericardii totamque ſuperficiem cordis, auricularum, ac vaſorum maiorum venoſorum et arterioſorum circa cor, quae omnia pericardii cauo continentur, ſemper madeſcere tenuiſſimo halitu, qui ex vaſis exhalantibus harum partium exit; ſic impediri, ne cor cum pericardio concreſcat, ſimulque conſeruari debitam flexilitatem in omnibus his partibus. Illud autem exhalans, cum tenuiſſima et fluidiſſima pars ſanguinis ſit, debet minui, imo et tandem deficere, dum ob potus penuriam, iactationes perpetuas, ſudores continuos, tenuiſſima humorum pars perit,

rit, nec reſtituitur. Ob hanc rationem pericardium, quod poſt mortem aliquid humidi collectum habere ſolet, ſiccum in hydrophoborum cadaueribus inuentum fuit.

Omnis ſanguis venoſus a toto corpore redux debet prius per pulmonem tranſire, antequam denuo aortae arteriae ope per totum corpus diſtribuatur. Verum per ſecretiones varias factas, dum ſanguis per arterias fluit, plurimum liquidioris partis de ſanguine ſecedit, adeoque ſanguis venoſus craſſior et minus meabilis fit. Verum in ſanis, quidquid per venas abſorbentes ventriculi, inteſtinorum, et totius ſuperficiei corporis tam internae quam externae ingreditur, omne illud ſanguine venoſo permiſcetur, antequam per pulmones pellatur, ſicque ſanguis venoſus dilutus ſatis et meabilis ſeruatur, vt per pulmonalis arteriae anguſtias vltimas tranſire poſſit. In hoc morbo autem deficit reſtitutio liquidi deperditi; hinc breui haerere incipit ſanguis in arteriis pulmonalibus, vel ſaltem tranſire difficulter; unde anhela reſpiratio in rabidis animalibus obſeruatur, et hydrophobi intolerabilem anxietatem reſpirationemque difficilem patiuntur.

Verum

Verum vbi diſſolutio humorum obtinet, ſanguis non accumulabitur in pulmonibus, ſed facile tranſibit in cor ſiniſtrum: hinc venae corporis euacuabuntur ſatis libere. Cum autem per arteriarum anguſtias ſanguis, licet magis ſolutus ſit, tranſire non poſſit, niſi cordis et arteriarum vires agant valide; hinc incipit accumulari in arteriis, quia in peſſimis illis morbis, ubi talis degeneratio humorum eſt, omnes medici obſeruant, pulſum frequentem, debilem, inaequalem, intermittentem, qui deſignat vitales vires, quae humores per vaſa mouent, opprimi. In pulmonalis autem arteriae ramis minus haerebit ſanguis, quia tota vis cordis dextri vrget ſanguinem ſolutum in arteriam pulmonalem; et licet haec vis etiam debilior ſit, reſpiratio ſemper frequens et anheloſa in iisdem morbis expedit viam, quae longe breuior eſt, quam vbi ſanguis vi cordis et arteriae aortae ad extrema corporis vsque pelli debet: vnde etiam in talibus morbis extremitates corporis frigere ſolent, dum aeſtus percipitur circa praecordia.

Sedem mali primo circa ſtomachum et vicina haerere iam monuit *Aurelianus*:

confirmant et hoc morbi ſymptomata; ingens enim adeſt circa praecordia anguſtia, ad oblatum potum turget ventriculus; vomunt bilioſa, quandoque fuſca et graueolentia; aliquando vomitorio dato leuamen habuerunt. Praeterea obſeruatio docuit, inflammationem ventriculi produxiſſe hydrophobiam, quae audacter repetita venaeſectione ſanata fuit. Omnium efficaciſſimum auxilium ab igne exſpectauit *Dioſcorides* merito, cum omnia deſtruat viuus ignis, ſic cuncta luſtret venena, ſimulque ſeparatio eſcharae inuſtae diuturnius tempus requirat, adeoque cita conſolidatio vulneris prohibeatur. Simul monet eſchara ſeparata, crudum vulnus *ſalſis* et acribus irritandum eſſe, ne coaleſcat: et ſi ante quadrageſimum diem coiuerit, renouandum vulnus eſſe, ſiue ſcalpello, ſiue noua vſtione. Recentiorum autem obſeruata docuerunt, non ſufficere leuem et ſuperficialem vſtionem, ſed requiri profundam, vt certi ſimus, venenum vulneri inhaerens, integre per ignem deſtructum fuiſſe: ſimul tamen prudentia requirit, vt eſchara delapſa, diu ſuſtineatur ſuppuratio, vt ſi forte quid adhuc de veneno lateat, hoc modo expellatur.

Cum

Cum tam teter ille morbus ſit, praeſtat cautelae gratia in ſextum menſem usque plagam apertam tenere; quod leniter erodentibus, vt v. g. praecipitato rubro, vnguentis digeſtiuis miſto, facile obtinetur; quin imo frequens applicatio muriae ſalis marini cum aceto, quandoque ad hunc ſcopum ſufficere ſolet, quod ſimul omni putredini reſiſtit quam efficaciſſime.

SCORBVTVS.

Haemorrhagiae et quidem periculoſae ſatis familiares ſunt ſcorbuticis, et laſſitudo totius corporis. In ſcorbuto a leviſſima offenſa cutis abraditur quaſi, et vlcera difficilia ſequuntur, inprimis in cruribus, vbi, ſi cutim tantum vnguibus ſcalpant, ſaepe poſt leuem excoriationem ſequitur annoſum vlcus.

Cauſa vera et primaria ſcorbuti nulla alia eſt, quam abſtinentia diuturnior a quocunque genere recentium vegetabilium.

Omnia animalia quae aliis animalibus nutriuntur, omnes ſuccos facile alcaleſcentes habent. In piſcibus pingue abundat oleum,

oleum, et ideo aves piſciuorae omnes rancidum ſapiunt plus vel minus: rancida autem talis acrimonia peior eſt ſimplici putredine, et vbi ſemel humoribus noſtris miſta eſt, difficilius inde eluitur. Obſeruatur, poſt aeſtates feruidiſſimas ſequi autumnali tempore febres intermittentes difficiles, cum anxietate praecordiorum, leui flauedine oculorum, et vrina ſubicteritia, quae omnia docent, in viſceribus abdominalibus obſtructiones natas eſſe. Vbi intercalaribus diebus ſoluentium remediorum copia datur, haec per febrim ſequentem mota ſaepe feliciter expediunt ſaburram viſceribus infarctam, ſicque tuto tolluntur hae febres; vel ſi pergant, liberatis iam a materia obſtruente viſceribus cortice peruuiano dato feliciter curantur. Vbi autem antequam ſoluta fuerit et expulſa haec materia, praepropere datur cortex peruuianus, languent tales aegri; ſique repetatur corticis vſus, dum prima recidiuae ſigna apparent, pertinax ſaepe obſtructio manet in toto ſyſtemate vaſorum meſentericorum; quae ergo melancholiae et morbo hypochondriaco originem dare poterit, adeoque et ſcorbuto.

In

In morbis chronicis qui ex vitiis liquidorum ſenſim natis originem ducunt, et lento gradu functiones corporis labefactant, maior ſaepe difficultas eſt eruendi ſigna illa pathognomonica, quae certam dant diagnoſin morbi praeſentis; imprimis in morbi principio, vbi nondum adeo laeſa eſt ſanitas, ſed quaſi vacillare incipit tantum.

Conueniunt in eo Auctores, quod incipientem ſcorbutum comitetur torpor inſolitus, et laſſitudo totius corporis ſpontanea. Laſſitudo illa ſpontanea ſi morbum acutum minitetur, breui certe in talem morbum abit. Si autem a retento perſpirabili producta fuerit, quiete corporis, tenui victu, blando ſudore finietur; vel ſi neglectum hoc fuerit, quandoque periculoſum morbum faciet. In ſcorbuto autem talis laſſitudo ſenſim ſubrepit, per plures dies imo ſeptimanas pergit ſenſim aucta, nullo alio morbo ſequente; et imprimis hoc peculiare habet, quod a ſomno evigilanti moleſtior ſit haec laſſitudo, quam reliquo diei tempore, dum laſſitudo ab aliis cauſis orta poſt ſomnum minui potius ſoleat.

Optime notat *Eugalenus* difficilem illam reſpirationem ſcorbuticorum diſtingui a ſimili

mili malo, ab aliis cauſis nato, quod non adſint *tuſſis*, *ſibilus*, *ſtertor*, *dolor pungens*, *orthopnoea*, *et his ſimilia thoracis affectibus propria.*

In hominibus diu quieſcentibus ſaepe pedes tument, quia venae minores commode ſe euacuare nequeunt in venas maiores nimis diſtentas.

Vaſorum ruptura et liquidorum extrauaſatio cauſa eſt macularum ſcorbuticarum et coloris mutationis in cute.

Solet plerumque circa gingiuas et dentes primo ſe manifeſtare hoc malum, verum certum eſt alias partes plures affici.

Notum eſt ex Anatomicis, ſub lingua, ad vtrumque latus fraenuli linguae, apparere venam ſatis inſignem et conſpicuam, quae in quibusdam morbis pertundi lanceola ſolet; hae raninae vocantur, et in venas iugulares externas plerumque ſe euacuare ſolent. Obſeruantur quandoque in ſcorbuticis illae venae varicoſae et tumentes, quod fieri poteſt ob vicinas his venis partes in tumorem elatas, ſicque liberum tranſitum ſanguinis ex his venis in iugulares impedientes.

Vlcera

Vlcera nullibi peiora et difficilius curabilia occurrunt, quam in cruribus, et praeſertim circa malleolos; totus ambitus talis vlceris fuſco vel et purpureo liueſcente colore perfunditur, fundus vlceris ſordidus eſt, labia quaſi exeſa, ſaniem olidam plorant; et nouerunt omnes qui praxin medicam in locis, vbi frequens ſcorbutus eſt, exercuerunt, quanta taedia haec vlcera faciant chirurgis, quam difficulter ad cicatricem perducantur, quam facile in vicino loco erumpant noua!

Cocchi ſuſpicabatur, ad ſcorbutum referri poſſe elephantiaſin et in Aegypto ideo frequens malum eſſe, quia ibi frequens erat cibi vegetabilis defectus: imo pulchre notat, deſperatos elephantiacos, ab hominum commercio remotos, ob morbi foeditatem, et ad deſerta loca delatos, quandoque conualuiſſe, non ob viperas ex deſperatione comeſtas, ſed quia miſeri nullum *cibum*, niſi *vegetabilem* inuenire poterant.

Nec immunia ſunt interna viſcera ab hac labe; et praecipue obſeruaui, cardiae et ventriculi dolores enormes quandoque hos aegros excruciare ab aſſumtis cibis auctos,

ctos, appetitu tamen ſatis integro manente. Pericardium, pulmo, pleura, diaphragma non tantum concreta, ſed quaſi in vnam maſſam confuſa, inuenta fuerunt in cadaueribus ſcorbuticorum, qui ſubita oppreſſione pectoris ſuffocati perierant. Interim tamen et hoc mirabile occurrit, quod in tanta degeneratione humorum *cerebrum* tamen ſemper ſanum et illaeſum repertum fuerit, et obſeruationes huius morbi per totum eius decurſum factae confirmant, actiones cerebri ſatis integras manſiſſe. Conuulſiones, tremores, paralyſes etc. quidem adſunt in hoc morbo aliquando, ſed potius vitio neruorum et muſculorum, quam ipſius cerebri. Memoria enim, intellectus, ratiocinium illaeſa manent. Miſeri illi qui in vltimo ſeptentrione hybernauerunt, et ſucceſſiue omnes perierunt, ſingulis diebus omnia notauerant, quae ipſis contigerant; et vltimus ſuperſtes concludit harum calamitatum hiſtoriam, dum ſcribit *morior*: vnde videtur ad vltimum vitae finem mente conſtitiſſe; nec memorat, vllum ſociorum deliraſſe ante mortem. Simul et hoc notari meretur, quod ad finem vitae vſque appetitus non defecerit; ſed miſeri illi ob debilitatem et dolo-

res

res continuos de lectulis ſuis ſurgere non poterant amplius, vt cibos pararent. Imo ingentem famem in ſcorbuticis ad mortem vsque adfuiſſe notat *Poupart*, illamque deducit ab acri humore, qui in ventriculis hoc morbo defunctorum reperiebatur.

In quorum vrinis maiora putrefactionis indicia inſunt, quam foris ex calore et ſiti apparet, morbo lento exiſtente, et ad nullius veteribus cognitae febris typum accedente, de his certo tecum ſtatuere potes ac debes a ſcorbuto tales detineri; additque *Eugalenus*, in alio loco; maxime ſi obambulantibus et omnia vitae munia ſine offenſione adminiſtrantibus, tales reddantur vrinae.

In cadaueribus illorum ſcorbuticorum, qui ſubito mortui ſunt, obſeruata ſunt omnia interiora corrupta; in multis etiam cordis auriculae pugnum aequantes repleta ſanguine coagulato, vnde neceſſario ſanguinis circuitus ſubito ſuffocari debuit.

Non mirum videbitur in peſſimo ſcorbuti gradu conuelli aegros, licet in cadaueribus cerebrum ſanum inueniretur. Si enim bilis corrupta, in ventriculo fluctuans conuulſionem excitare potuerit, ceſſantem

P ilico,

ilico, dum per vomitum haec ſaburra excutiebatur; ſi dolores magni et periodici, vti et vlceroſa materies alicubi hoſpitans in corpore, epilepſiam horrendam producere potuerit, quid non timendum erit in aegris quorum omnia fere oſſa carioſa erant; quorum ligamenta erodebantur ab acri ſanie in cauis articulorum collecta; quorum pericardium fere totum eroſum erat, et ipſum cor profunde vlceratum; quorum viſcera alluebantur adeo acri ſanie, vt haec cadauera ſecantibus epidermis ſecederet a manubus, et facies vlceraretur. Patet ergo ſufficiens ratio conuulſionum in peſſimo ſcorbuto; et *Poupart* obſeruat conuulſiones omnibus ſcorbuticis contigiſſe, dum illas inter communia ſymptomata ſcorbuti putridiſſimi recenſet.

Si a ſalſamentis liberalius aſſumtis acrimonia conciliatur humoribus, haec muriatica erit, nec facile tunc in putredinem tendet ſcorbutus, et diutius tolerabitur, licet moleſtiſſimos dolores faciat, et rigiditatem membrorum quandoque inducat. Talis in claſſiariis ſatis frequenter contingit, et victu recenti inſulſo, potuque copioſo feliciter ſuperari ſolet, et ſaepe breui

ſatis

ſatis tempore. Vbi vero non bene conditis ſale carnibus, et hinc calido ſub climate putreſcentibus veſci coguntur miſeri, et aquam corruptam bibere, tunc alcalina putrida naſcitur acrimonia, et peſſimus ſcorbutus ſequitur, qui breui corpus deſtruit. Solo abſinthio aquae et vino vel et cereuiſiae tenui infuſo, difficilia ſcorbuti ſymptomata non tantum, ſed et morbum ipſum ſe ſuperaſſe teſtatur *Eugalenus*. Dum cereuiſiae dolio aliquot braſſicas rubras capitatas minutim conciſas infundebant, cum duodecim manipulis naſturtii aquatici, vel cochleariae, et libra recentis raphani ruſticani, integras familias curatas vidi, quae tali cereuiſia pro potu communi utebantur diu. A caſeo antiquo et acri, ſi quotidie ſumatur, longe citius omnia ſcorbuti ſymptomata redire vidi, quam ab vlla alia cauſa.

Vbi iam oris foetor incipit, gingivae tument, dolent, calent, ſatis patet, ſuſpectum eſſe mercurialium remediorum vſum, cum horum effectus ſit, os internum exulcerare, et magnam copiam foetidae ſalivae elicere. Illi qui morbis venereis ſanandis frequentem operam adhibuerunt, ſatis ex-

perti ſunt, leuem etiam argenti viui quantitatem ingentes turbas excitare in ſcorbuticis corporibus, ſi a lue per hanc methodum curari debeant.

Craſſities in vna parte ſanguinis, in altera acrimonia peccat in hoc morbo. Si illa craſſities humorum iners mucoſa frigida ſit, amara et aromatica tantum vſum habent; tunc abſinthium pulcherrimum effectum praeſtat. Aliquando adeſt ſpiſſitudo inflammatoria humorum, tunc ſucci horaei, ſyrupi et ſapae ex his confectae, proſunt pulcherrime: ſpiſſitudo atrabilaria *mellitis*, *ſaponaceis* ſoluitur.

Serum lactis craſſitiem humorum diluendo et attenuando minuit, ſimulque ſuppeditat ſanguini aquoſum vehiculum, per quod acres ſales et olea, iam corruptioni proxima, elui poſſunt, et per ſudores, vrinae et alui vias exire de corpore. Verum requiritur tale adhuc virium vitalium robur in aegris, vt moueri poſſint haec ingeſta cum ſanguine per vaſa; caeteroquin haec manent in corpore, et hydropicos tumores producunt. Vbi ergo magnus languor percipitur, vel ſigna adſunt nimiae diſſolutionis humorum, tunc non conueniunt.

Vbi

Vbi in ſcorbuticis laxa flacciditas totius corporis obſeruatur, et a rudiori quacunque corporis contrectatione maculae coeruleae oriuntur, tunc locum habent adſtringentia, auſtera remedia.

CACHEXIA.

Requiritur ad conſtantiam vitae et ſanitatis, vt tantum et tale in humoribus, ſolidisque, perpetuo reſtituatur, quantum et quale quotidie perditur.

Pinguia difficilis admodum digeſtionis ſunt, et in ventriculo diu retinentur, tuncque rancida fiunt et ſic peſſime nocere poterunt. Sani et robuſti homines hoc ſaepe experiuntur, ſi pinguiores carnes et inprimis lardum, maiori copia in prandio comederint; tunc enim veſperi eructant acre oleum, quod fauces fere erodit, et in ignem proiectum luculentam flammam facit. Tam diu hoc pingue in ventriculo, reliquis cibis iam fere vacuo, manet indigeſtum, et niſi in duodeno copioſae et acri bili occurrat, quae illud pingue ſaponacea ſua vi reddat aquae miſcibile, in reliquo inteſtinorum tractu cruditatem rancidam peſſimam facere poterit. Nimium robur vaſorum

rum ac viſcerum inter cauſas cachexiae numeratur, quia tunc tanta eſt cohaeſio partium ſolidarum illa componentium, vt non cedant ſatis liquidis impulſis, adeoque ſic interrumpitur aequabilis ſanguinis motus, & turbantur omnes ſecretiones.

Vbi qualicunque de cauſa minuitur inſigniter copia humorum inquilinorum, aſſimilatio crudi ingeſti minus perficitur, adeoque deprauatur nutritio, et cachexia inducitur. Omnium autem maxime hoc metuendum eſt, vbi ſubitis euacuationibus humorum copia imminuta admodum fuerit, vt in vulneratis; in mulieribus abortum et ſimul validam vteri haemorrhagiam paſſis; in cholera morbo, vbi intra paucas horas totum corpus fere exinanitur; replenda quidem ſunt haec corpora, ſed ſenſim, neque permittendum, vt multa ſimul et ſemel ingurgitent, licet appetitu valeant.

Cum requiratur bonus ſanguis, vt per encephali fabricam inde ſeparetur ſubtiliſſimum illud fluidum nerueum, quod muſculari motui perficiendo ſeruit, et in cachecticis omnes humores a ſanitatis conditionibus degenerent, deficiet et illud fluidum nerueum vel copia, vel non habebit omnes dotes requiſitas. Vnde illa alacritas ad motum, quae in ſanis adeſt, deficit, et vix trahunt languida membra cachectici. Praeterea

terea obſeruatur, quod ſimul ac libera ſanguinis circumductio per vaſa partis cuiusdam corporis impeditur, ſtatim illa pars grauis ſentitur: ſic e. g. ſi brachium valida phlegmone occupet, inſtar plumbi graue percipitur. Cum autem cachexiam frequenter comitetur glutinoſa iners et frigida cacochymia humorum, quae facit difficiliorem tranſitum liquidorum per vaſa, inde et alia cauſa grauitatis membrorum percipitur.

Notum eſt, humores venis contentos propelli per illas verſus cor illo motu, quem ab arteriis acceperant: verum cum venae non pulſent, et in decurſu ſuo ſemper latiores fiant, retardatur neceſſario humorum ex arteriis in venas venientium motus: vnde in plurimis corporis locis videmus, venas arteriis contiguas eſſe, vt turgentes arteriae in ſua diaſtole premant vicinas venas, ſicque humorum motum per illas promoueant. Praeterea muſculi agentes, dum turgent, premunt omnes venas illis incumbentes, vel inter illos decurrentes; ſicque plurimum adiuuant venoſi ſanguinis motum. Verum in cachecticis languet cordis et arteriarum actio, motus muſculares vel omnino non vel admodum languide exercentur; adeoque deſunt illa adminicula, quae expeditum humorum venoſorum ad cor reditum procurant. Maiores venae hinc vix deplentur,

plentur, et minores lymphaticae venae, quae ex cauis maioribus et minoribus corporis lympham arteriis exhalantibus, reſorbere debebant, cum non poſſint depleri facile in maiores venas nimis plenas, non reſorbent omne, quod eructant arteriae exhalantes; hinc incipit turgere tunica celluloſa aquoſis humoribus, ſicque oedema naſcitur, inprimis in partibus a corde remotis, quia ibi, caeteris paribus, ſemper *tardior* circulationis motus eſt. Inde fit pedum tumor, maxime ſi erecti ſtant diu, vel ſedent pendulis pedibus, tunc enim contra grauitatis nixum aſcendere debent humores; vbi vero in lecto decumbunt, tunc ob horizontalem ſitum corporis facilius ab extremis partibus corporis ſurſum redire poſſunt humores venoſi, dum ſimul etiam lecti tepor fluidiorem reddit lympham, quae in tunica celluloſa aggeſta haeret; oedematoſi enim pedes ſimul et ſunt frigidi.

Cum autem cor ſiniſtrum nihil expellere poſſit in aortam, niſi quod prius a corde dextro receperit, et cor dextrum parum accipiat ob tardiorem motum ſanguinis venoſi; hinc patet ratio, quare pulſus debilis et languidus fit. Simulac vero corpus mouere incipiunt, venae plenae, a muſculis agentibus preſſae, ſubito mouent humores contentos verſus cor dextrum; quod tunc obrui-

obruitur, quia tantum non poteſt transprimere per pulmonem, quantum venae adferunt; vnde ſit cordis palpitatio, et reſpiratio laborioſa ac difficilis.

Vbi a malo victu ortum duxerit cachexia, per purgantia aut vomitoria prudenter adhibita, ſi expellatur indigeſtorum ſaburra, in primis viis haerens, et deinde bono utantur victu tales aegri, reſtituuntur feliciter. Vbi a defectu motus animalis morbus ſubrepit ſenſim, curantur omnes, qui iners otium cum vita laborioſa permutare ſuſtinent. Dum circa tempus pubertatis cachecticae virgines pallido ſic dicto morbo laborant, intra paucas ſeptimanas curam promittere ſemper auſus fui, et ſtabilem ſanitatem, modo vellent renatas ex limaturae ferri uſu vires ſalubri corporis motu conſeruare, et a potibus aquoſis tepidis abſtinere, qui robur ſolidarum partium corporis eneruant. Vbi autem a vitio viſceris cuiusdam purulento, ſcirrhoſo etc. cachexia oritur, tum non poteſt ſanari morbus, niſi cauſa tollatur, quod difficillimum eſt, et ſaepe omnino impoſſibile, adeoque tunc et mala ſequitur prognoſis. Si cachecticis accedat vertigo, memoriae imbecillitas tremor, ſomnolentia, metus eſt, ne lenti vel aquoſi humores in encephalo incipiant accumulari, vnde apoplexiae metus eſt. Si ad minimum corporis motum anhelare incipiant et fere ſuffo-

centur, pectoris cauum ſimilibus repleri concluditur vel et ipſum pulmonem. In florenti aetate, vegeto et firmo iam corpore, vix, niſi a grauioribus cauſis cachexia inducitur, et hinc non ſemper facile ſanantur.

Non conſiderarunt illi viri, qui humorum perpetuam attenuationem adeo laudabant, liquidorum ſanorum indolem: in ſaniſſimis et robuſtis hominibus ſanguis denſus eſt, et concreſcens ilico in ſolidam maſſam, dum vaſis apertis exit; in debilibus autem et valetudinariis longe dilutior ſanguis apparet, longe minus concreſcens: ſi vel hoc ſolum obſeruatum practicum conſideraſſent, vidiſſent facile, quod nimia diſſolutione humorum homo ſanus et robuſtus reddatur debilis et valetudinarius. Praeterea ſingulis humoribus debet adeſſe debitus ſpiſſitudinis gradus, vt maneat in ſuis vaſis; ſi enim ſanguis ruber aeque tenuis redderetur ac ſerum ſanguinis, vaſa ſanguinea fierent vacua; ſi ſerum ſanguinis adeo tenue redderetur ac eſt lympha, quae per vaſa cutis exhalantia tranſire poteſt, exhaurireter breui totum corpus. Patet ergo ſatis, peccare poſſe humores noſtros nimia tenuitate, dum a ſanitatis conditionibus manifeſte ſic recedunt. Cum autem ſanguinis craſſiſſima pars, rubra nempe in arteriis et venis maximis corporis contenta motum a corde et arteriis recipiat, receptum reliquis communicet, ſimulque a den-

denſiſſima hac parte ſanguinis ad vaſa maxime reſiſtentia attrita, calor ſanus ſuſtineatur, et communicetur toti corpori, nimis diluto ſanguine per aquoſa, ſimulque flaccidioribus redditis ſolidis per eadem, languidior fit humorum motus, et minuitur calor; vnde non difflabitur facile hoc aquoſum de corpore, ſed manebit, vaſa diſtendet, et in cauis corporis incipiet accumulari, ſicque cachexiam aquoſam, ſiue hydropem, producere. Verum praeter illam nimiam tenuitatem humorum, quae ab imprudenti diluentium vſu naſcitur, et alia fluiditas morboſa liquidorum obſervatur, quae fit, quia vel non ſatis condenſantur humores per efficaciam vaſorum et viſcerum, vel morboſi quid miſcetur fluidis, quod debitam illorum conſiſtentiam tollit. Chylum, certum eſt, ex alimentis aſſumtis paratum, habere minorem denſitatem, quam ſanguis ruber eiusque ſerum; ſupernatat enim chylus ſanguini de venis educto, et repetito circuitu per vaſa et viſcera corporis tandem denſior redditur, et in noſtram naturam mutatur. Videtur autem ſtatui poſſe, pulmonem ſua actione quam maxime conducere ad hanc chyli immutationem, cum omnis chylus vim et efficaciam pulmonis pati debeat, antequam cum ſanguine per arterias moueatur; et omnis humor vitalis totus quantus pulmones tranſeat, dum per alia viſcera tantum

certa portio transfluit. Praeterea aorta toti corpori omnibusque eius partibus proſpicit, dum vna cum vitali ſanguine liquidum nutriens diſtribuit per omnia: ſed aorta omnem ſuum ſanguinem a corde ſiniſtro accipit, in quod pulmonales venae ſanguinem per pulmonem transmiſſum euacuant. Vnde videtur pulmo conciliare debitam denſitatem chylo, illamque conſeruare in ſanguine. Hinc patet ratio, quare pulmone affecto videamus toties marceſcere totum corpus, licet nec per ſputa, nec alias euacuationes ſenſibiles multum perdatur de corpore: quandoque etiam ſudores nocturni fiunt, ob humores nimis tenues, nec ſatis denſatos in pulmone, qui per vaſorum cutaneorum oſcula, tepore lecti magis laxata, elabuntur. Cum autem eadem actio, quae chylum condenſat et ſimilem reddit noſtris humoribus, blandam ſimul indolem conciliet omnibus (liquida enim ſana non ſunt acria) patet ratio, quare maiorem tenuitatem humorum, a tali cauſa natam, ſoleat comitari acrimonia, quae mitigationem poſcit, dum nimia fluiditas modicam inſpiſſationem requirit.

Sudorifera et diuretica tantum locum habent in cachexia, quae in leucophlegmatiam vel hydropem anaſarcam vergit; non vero vbi maraſmo exſucco ſenſim tabeſcit corpus, ibi enim haec nocerent. Sales alcalini et ſapones ex alcalinis ſalibus et oleis ſimul

ſimul unitis parati, magnam efficaciam habent in ſoluendis tenacibus et viſcidis; verum minus conueniunt illo tempore dum ferro vtuntur tales aegri: Limatura ferri enim in acidis vegetabilibus ſoluitur facillime, ſed ſi addatur alcali tali ſolutioni, praecipitatur ferrum, et ochrae flaueſcentis ſpeciem refert, quae muco primarum viarum irretita, cum illo concreſcit in maſſam vix ſolubilem, ſicque ſaepe multas moleſtias producit. Ob hanc cauſam ab illis abſtinemus, eo tempore, dum limatura ferri vtuntur cachectici; illamque vino infuſam, aut cereviſiae generoſiori et meracae, exhibemus; vel ſi in ſubſtantia exhibeatur, vinum vel cereuiſiam talem ſuperbibendam ſuademus. In victu etiam ob eandem cauſam laudantur tunc talia, quae ex ſua natura in acidum potius vergunt, et e contra vitantur talia, quae in alcalinam putredinem nimis prona ſunt.

Dum ob debilitatem nimiam ſolidarum partium tumet corpus viſcidis humoribus plenum, tunc remedia roborantia locum habent: vbi autem ſoluti nimis humores abeunt de corpore, nec reſtituuntur per ingeſta, vaſa contrahuntur, et lento maraſmo perit corpus, in tali caſu humectantia et leniter incraſſantia remedia requiruntur.

Si pallido morbo laborans puella inerti mucoſa cacochymia humorum turgeat, ferrum in acido vegetabili ſolutum datur

potius quam in ſubſtantia, quia limatura ferri deglutita lento primarum viarum muco ſic inuiſcari poterit, vt vel nihil omnino, vel parum tantum, agat; contra vero, ſi acidum acre ſimul adſit in primis viis, tunc potius in ſubſtantia datur, quia et acidam acrimoniam mitigat, ſimulque in hoc acido ſolutum ferrum ſuos praeſtabit effectus.

EMPYEMA.

Putreſcere poteſt ſanguis in cauo thoracis collectus, et in corruptum ichorem degenerare, ſed non mutatur in pus; poteſt autem acris talis ichor partes quas alluit, rodere, inflammare, adeoque poſſunt et abſceſſus naſci ab hac cauſa; ſed tamen inde patet, pus non fieri ab effuſis humoribus in thoracis cauo, ſed illuc delabi ex vomicis prius factis.

Decubitus in dorſo empyemate laborantibus aegris ſatis commodus eſt, quia diaphragma verſus dorſum profundius deſcendit. Ob eandem rationem ſitum erectum in lecto amant, ſi multum puris in thorace collectum fuerit, quia tunc puris incumbentis pondere diaphragma verſus abdomen deſcendit, ſicque amplior redditur thoracis cauitas.

Genae rubent et melius coloratae apparent illis, qui magnam copiam puris in pectore habent,

habent, quia difficilius tranſit in his ſanguis per pulmonem, adeoque et minus facile per iugulares venas ſanguis a capite redux euacuatur in cor dextrum; vnde vaſa ſanguinea faciei magis diſtenta manent. Febris autem lenta perpetuo comitari ſolet empyema, ob tenuiorem partem puris reſorptam, et ſanguini miſtam. Haec autem febris ſenſim habitum corporis depaſcitur, vnde ſumma inducitur macies. Cum autem magna copia pinguedinis in orbitis oculorum adſit, vt molli quaſi puluinari bulbus oculi vndique excipiatur, lubricetur et ſeruetur mobilis, inde, pinguedine hac conſumta, redduntur oculi caui, id eſt, bulbus oculi profundius in orbitam demergitur. Ob eandem cauſam, conſumta illa pinguedine, quae in apicibus digitorum organum tactus ſuſtinet, vngues recurui magis prominent. Simul et calor ſatis acer in extremis digitis et in volis manuum ſolet percipi, dum perpetua febricula ſanguinem velocius mouet per vaſa magis contracta, atque ob tendineas vaginas incumbentes exſuccas magis et aridas redditas, plus compreſſas.

Cum tantum interſit medico, vt certo noſcat, in quo thoracis latere pus haereat, *Hippocrates* omnia ſigna collegit, et varias artes adhibuit, vt firmam haberet diagnoſin. Ita obſeruauit, illud latus pectoris, vbi pus copioſum haeret, et quod ideo ſaepe ſtrepitum

tum nullum facit, magis intumeſcere quam latus oppoſitum, quod poſtea recentiorum chirurgorum obſeruatis confirmatum eſt; quia autem et magis caleſcit latus affectum, hinc iuſſit, totum thoracem obuolui linteo tenui, intincto terrae rubricae liquidae, admodum tritae et tenui, ſuaſitque ſectionem aut vſtionem inſtituendam illo in loco, vbi citius exſiccatio apparet. Vel et nudum thoracem rubrica liquida illiniendum iuſſit, vt appareat locus, qui primo ſiccatur; ſed prudenter monuit, tunc multos ſimul illinire debere, vt ſimul et ſemel totus thoracis ambitus tegatur; caeteroquin fallere poſſet, dum ille locus, qui primus illiniretur, citius reliquis exſiccaretur.

Patet, poſtquam conſtiterit, vomicam ruptam eſſe, per quatuor vel quinque dies attendere debeat medicus, an ſigna quaedam puris euacuandi per has vias appareant; ſin minus, tunc cogitandum eſt de thoracis paracentheſi, quae non debet differri nimis diu, vt cum felici ſucceſſu fiat.

Niſi certo conſtet, depuratam rite et dein conſolidatam eſſe ſuperficiem vlceroſam thoracis interni, nunquam debet conſolidari vulnus, quia nouum fieret empyema, quod ſimilem denuo operationem poſceret.

F I N I S.

INV. 1179